In quo vitam mei sitam
  Consistendam flagito.

Ergo rerum te mearum
  Servatorem statuo;
Tuque bonus præsens domus
  Excuba dum abero.

Ad quam seram nunquam feram,
Te custode credito.

Non sunt multi tanta fulti
Gestorum potentia.
Huic si præsit, ne quid desit
Tecto cum substantia.

Sed me mei causa rei
Rus compellit egredi,
Nec, ut credo, fas habebo
Mox, quod mallem, regredi.

Jamque vale, nec quid male
Nos tractent malefici.
Vigil cura, ne jactura
Domus adsit censui.

Interim veniant FURES, *et post recessum ejus, dicant* OMNES *insimul:*

Quid agemus? quo tendemus?
Quæ captamus consilia?

Ad hoc dicat UNUS *ex eis:*

Oporteret ut impleret
Nostra quisquam marsupia.

Audite, socii, mea consilia;
Vir hic est Judæus, cujus pecunia,
Si vultis, jam erit nostra penuria
Relevata.

ALIUS.

Eamus propere, pellantur otia,
Tollantur januæ, frangantur ostia;
Judæi forsitan hujus incuria
Jam esse poterit nostra pecunia
Augmentata.

Et cum citius incipiunt ire, dicat TERTIUS:

O mei comites, ite suavius,
Vosque prospicite nunc diligentius,
Vir talis cautius servat quam alius
Rem de qua metuit, et vigilantius
Est servata.

Cum venerint ad locum ubi furari debent, sit ibi arca posita quam curveant; PRIMUS *dicat:*

Arcam istam hinc tollite
Si potestis quam concite;
Quod si nequitis, frangite;
Quæ sunt in ea capite.

Quo dicto, fingant se non posse levare arcam, et dicat SECUNDUS:
Nos oportet hanc arcam frangere,
Quam nequimus integram tollere.

Tunc veniens TERTIUS, *et inveniens seram non firmam, dicat:*
O! quanta exultatio!
Hæc arca, magno gaudio,
Se reserari voluit,
Et se nobis aperuit.

Hoc dicto, capto quod fuerit in arca, abeant, et tunc veniens JUDÆUS *et comperiens furata, dicat:*
Vah! perii! nichil est reliqui michi; cur esse cæpi?
Cur, mater, cur, sæve pater, fore me tribuisti?
Heu! quid proferri michi profuit aut generari?
Cur natura parens consistere me statuebas?
Quæ luctus michi, quæ gemitus hos prospiciebas?
Quod quærar in tantam mi crimen obesse ruinam?
Qui modo dives eram, vix aut nullius egebam,
Pollens argento, pretiosis vestibus, auro,
Sum miser, idque mei moles est pauperiei,
Nam latet ex habitu me post modo quo fruar usu,
Quod levius ferrem, si ferre prius didicissem.
Sed, ni decipior, ego sane desipiebam,
Sic ego quod nomen Nicholai mane colebam.
Quidni nexa fides nocuit michi christicolarum,
Quæ probat et sine te sic te, Nicholae, vigere.
Id michi tristandi causam dedit et lacrymandi;
Nec solus flebo, nec inultus, credo, dolebo:
Tu meritis subdare probris, tondere flagellis;
Sed fessus cedam, noctis tibi tempora credam;
Quod nisi mane mea repares tibi credita causa,
Primo flagellabo te, postque flagella cremabo.

NICHOLAUS, *ad fures furtum dividentes:*
Quid prophani? quid nota reconditis?
Quid dementes ut vestra dividitis?
Interiistis.

Quid perditi geritis dominii?
Vos vobis abduxit fraus dæmonii;
Occubuistis.

Vos an transit, omnium miserrimi,
His abductis, finis teterrimi
Quem meruistis?

Non me latet, impudentissimi,
Quæ sunt michi commissæ domui
Quæ rapuistis

Has argenti marchas, his vestibus
Hanc auri massam insignibus
Continuistis.

Michi autem sunt probra, turpium
Michi quidem et causa verberum,
Quæ perpetrastis.

Quod si noctis hujus præsentia
Festinate refertis omnia,
Id devitatis;

Ne deprensi mane a populo,
Me indicante, dignas patibulo
Pœnas solvatis.

Recedente Sancto, dicat UNUS *ex eis:*
Quanta mors est has gazas reddere!
Si laudatis, volo dividere.

ALIUS.

In isto negocio
Egemus consilio;
Nunquam lætus fuero
Si hæc sic reddidero.

TERTIUS.

Est melius hoc nobis reddere,
Quam sic vitam pendendo perdere.

OMNES *simul.*

Redeamus et reddamus.

JUDÆUS, *rebus inventis suis, dicat alta voce:*
Congaudete, michi karissimi,
Restitutis cunctis quæ perdidi:
Gaudeamus!

Quæ mea dispersit incuria,
Nicholai resumpsi gratia;
Gaudeamus!

Conlaudemus hunc Dei famulum;
Abjuremus obcæcans idolum.
Gaudeamus!

Ut errore sublato mentium,
Nicholai mereamur consortium.
Gaudeamus!

Omnis CHORUS *dicat:*
Statuit ei Dominus . . .

Finitur Miraculum.

QUARTUM MIRACULUM SANCTI NICHOLAI.

Ad repræsentandum quomodo Sanctus Nicholaus Getronis filium de manu Marmorini regis Agarenorum liberavit, paretur in competenti loco, cum ministris suis armatis, rex Marmorinus, in alta sede, quasi in regno suo sedens. Paretur et in alio loco Excoranda, Getronis civitas, et in ea Getron, cum consolatoribus suis, uxor ejus Eufrosina, et filius eorum a Deo datus. Sitque ab orientali parte civitatis Excorandæ ecclesia Sancti Nicholai in qua puer rapietur. His itaque paratis, veniant ministri Marmorini regis coram eo, et dicant OMNES *vel* PRIMUS *ex eis:*

Salve, princeps, salve, rex optime!
Quæ sit tuæ voluntas animæ
Servis tuis ne tardas dicere;
Sumus quæ vis parati facere.

REX *dicet:*

Ite ergo, ne tardaveritis;
Et quascunque gentes poteritis
Imperio meo subjicite;
Resistentes vobis occidite.

Interim Getron et Eufrosina, cum multitudine clericorum, ad ecclesiam Sancti Nicholai, quasi ad ejus solempnitatem celebrandam, filium suum secum ducentes, eant. Cumque ministros regis armatos illuc venire viderint, filio suo præ timore oblito, ad civitatem suam confugiant. Ministri vero regis, puerum rapientes, coram rege veniant, et dicant OMNES *vel* SECUNDUS *ex eis:*

Quod jussisti, rex bone, fecimus;
Gentes multas vobis subegimus,
Et de rebus quas adquisivimus
Hunc puerum vobis adducimus.

OMNES *dicant, vel* TERTIUS:

Puer iste, vultu laudabilis,
Sensu prudens, genere nobilis,
Bene debet, nostro judicio,
Subjacere vestro servitio.

REX.

Apolloni, qui regit omnia,
Semper sit laus, vobisque gratia,
Qui fecistis michi tot patrias
Subjugatas et tributarias.

[*Puero*:]

Puer bone, nobis edissere
De qua terra, de qua sis genere,
Cujus ritu gens tuæ patriæ?
Sunt gentiles, sive christicolæ?

PUER.

Excorandæ principans populo,
Pater meus, Getron vocabulo,
Dominum colit cujus sunt maria,
Qui fecit nos et vos et omnia.

REX.

Deus meus Apollo Deus est
Qui me fecit; verax et bonus est.
Regit terras, regnat in æthere;
Illi soli debemus credere.

PUER.

Deus tuus mendax et malus est;
Stultus, cœcus, surdus, et mutus est;
Talem Deum non debes colere,
Qui non potest seipsum regere.

REX.

Noli, puer, talia dicere;
Deum meum noli despicere;
Nam si eum iratum feceris
Evadere nequaquam poteris.

Interea EUFROSINA, *comperta oblivione filii, ad ecclesiam Nicholai redit; cumque filium suum quæsitum non inveniret, lamentabili voce:*

Heu! heu! heu! michi miseræ!
Quid agam? quid queam dicere?
Quo peccato merui perdere
Natum meum et ultra vivere?

Cur me pater infelix genuit?
Cur me mater infelix abluit?
Cur me nutrix lactare debuit?
Mortem michi quare non præbuit?

CONSOLATRICES *venient ad eam, et dicent:*

Quid te juvat hæc desolatio?
Noli flere pro tuo filio.

Summi Patris exora Filium,
Qui conferat ei consilium.

EUFROSINA, *quasi non curans consolationem earum:*

Fili care, fili carissime,
Fili, meæ magna pars animæ,
Nunc es nobis causa tristitiæ,
Quibus eras causa lætitiæ.

CONSOLATRICES.

Ne desperes de Dei gratia,
Cujus magna misericordia
Istum tibi donavit puerum;
Tibi reddet aut hunc aut alium.

EUFROSINA.

Anxiatus est in me spiritus!
Cur moratur meus interitus?
Cum te, fili, non possum cernere,
Mallem mori quam diu vivere.

CONSOLATRICES.

Luctus, dolor, et desperatio
Tibi nocent, nec prosunt filio.
Sed pro eo de tuis opibus
Da clericis atque pauperibus.

Nicholai roga clementiam,
Ut exoret misericordiam
Summi Patris pro tuo filio,
Nec falletur tua petitio.

EUFROSINA.

Nicholae, pater sanctissime,
Nicholae, Deo carissime!
Si vis ut te colam diutius,
Fac ut meus redeat filius.

Qui salvasti multos in pelago,
Et tres viros a mortis vinculo,
Preces mei peccatricis audias,
Et ex illo me certam facias!

Non comedam carnem diutius,
Neque vino fruar ulterius;
Nullo mero lætabor amplius,
Donec meus redibit filius.

GETRON.

Cara soror, lugere desine,
Tuæ tibi nil prosunt lacrimæ;

Sed oretur pro nostro filio
Summi Patris propitiatio.

In crastino erit festivitas
Nicholai, quem christianitas
Tota debet devote colere,
Venerari et benedicere.

Audi ergo mea consilia:
Adeamus ejus solempnia,
Conlaudemus ejus magnalia,
Deprecemur ejus suffragia.

Dei forsan est inspiratio,
Quæ me monet pro nostro filio.
Et oranda, cum Dei gratia,
Nicholai magna clementia.

Tunc resurgant, ad ecclesiam Sancti Nicholai eant, in quam cum introierint tendat manus suas ad cœlum EUFROSINA, *et dicat:*

Summe regum Rex omnium,
Rex vivorum et morientium!
Nostrum nobis fac redi filium,
Vitæ nostræ solum solatium.

Audi preces ad te clamantium,
Qui in mundum misisti Filium,
Qui nos cives cælorum faceret,
Et inferni claustris eriperet.

Deus Pater, cujus potentia
Bona bonis ministrat omnia,
Peccatricem me noli spernere,
Sed me meum natum fac cernere!

Nicholae! quem sanctum dicimus,
Si sunt vera quæ de te credimus,
Tua nobis et nostro filio
Erga Deum prosit oratio!

His dictis, exeat ab ecclesia et eat in domum suam, et paret mensam, et super mensam panem et vinum, unde clerici et pauperes reficiantur; quibus vocatis et comedere incipientibus, dicat MARMORINUS *ministris suis:*

Dico vobis, mei carissimi,
Quod ante hanc diem non habui
Famem tantam quantam nunc habeo:
Famem istam ferre non valeo.

Vos igitur quo vesci debeam
Præparate, ne mortem subeam.
Quid tardatis? ite velocius;
Quod manducem parate citius.

MINISTRI *euntes afferant cibos et dicant regi.*

Ad præceptum tuum paravimus
Cibos tuos et hic adtulimus;
Nunc, si velis, poteris propere
Qua gravaris famem extinguere.

His dictis, afferatur aqua et lavet manus suas REX, *et, incipiens comedere, dicat:*

Esurivi, et modo sitio;
Vinum michi dari præcipio,
Quod afferat michi quam citius
[Servus] meus Getronis filius.

PUER *itaque hoc audiens suspiret graviter, et secum dicat:*

Heu! heu! heu! michi misero!
Vitæ meæ finem desidero;
Vivus enim quandiu fuero
Liberari nequaquam potero.

REX *puero:*

Pro qua causa suspiras taliter?
Suspirare te vidi fortiter.
Quid? pro quo sic suspiraveris?
Quid te nocet? aut unde quæreris?

PUER.

Recordatus meæ miseriæ,
Mei patris et meæ patriæ,
Suspirare cæpi et gemere,
Et intra me talia dicere:

Annus unus expletus hodie,
Postquam servus factus miseriæ,
Potestati subjectus regiæ,
Fines hujus intravi patriæ.

REX.

Heu! miselle! quid ita cogitas?
Quid te juvat cordis anxietas?
Nemo potest te michi tollere
Quandiu te non velim perdere.

Interea veniat aliquis in similitudine Nicholai, puerum scyphum cum recentario vino tenentem apprehendat, apprehensusque ante fores componat, et quasi non compertus recedat. Tunc vero UNUS DE CIVIBUS *ad puerum dicat:*

Puer, quis es, et quo vis pergere?
Cujus tibi dedit largitio
Scyphum istum cum recentario?

PUER.

Huc venio, non ibo longius;
Sum Getronis unicus filius.
Nicholao sit laus et gloria!
Cujus hic me reduxit gratia.

Quo audito, currat CIVIS *ille ad Getronem, et dicat:*

Gaude Getron, nec fleas amplius;
Extra fores stat tuus filius.
Nicholai laudat magnalia,
Cujus eum reduxit gratia.

Cumque hujusmodi nuncium audierit EUFROSINA, *ad filium suum currat, quem sæpius deosculatum amplexetur, et dicat:*

Deo nostro sit laus et gloria,
Cujus magna misericordia,
Luctus nostros vertens in gaudium,
Nostrum nobis reduxit filium!

Sintque patri nostro perpetuæ
Nicholao laudes et gratiæ,
Cujus erga Deum oratio
Nos adjuvit in hoc negotio.

CHORUS OMNIS.

Copiosæ karitatis . . . . .

Hic finit.

MYSTERIA ET MIRACULUM

E LIBRIS NOVI TESTAMENTI

DESUMPTA.



HERODES, SIVE MAGORUM ADORATIO.

Incipit ordo ad repræsentandum Herodem.

Parato Herode et cæteris personis, tunc quidam ANGELUS *cum multitudine in excelsis appareat. Quo viso pastores perterriti, salutem annunciet eis, de cæteris adhuc tacentibus.*

Nolite timere vos, ecce enim euvangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus nobis hodie Salvator Mundi, in civitate David, et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio, in medio duum animalium.

Et subito OMNIS MULTITUDO *cum Angelo dicat:*

Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Alleluia! Alleluia!

Tunc demum surgentes cantent intra se: Transeamus, *etc. et sic procedant usque ad præsepe, quod ad januas monasterii paratum erit.*

Transeamus usque Bethleem, ut videamus hoc Verbum quod factum est, quod fecit Dominus et ostendit nobis.

Tunc DUÆ MULIERES *custodientes præsepe interrogent pastores, dicentes:*

Quem quæritis, pastores, dicite?

PASTORES *respondeant:*

Salvatorem Christum dominum;
Infantem pannis involutum,
Secundum sermonem angelicum,

MULIERES.

Adest parvulus, cum Maria matre ejus, de quo dudum vaticinando Ysaias propheta dixerat: Ecce virgo concipiet et pariet filium.

Tunc PASTORES *procedentes adorent infantem dicentes:*

Salve rex sæculorum!

Postea surgentes invitent populum, circumstantes, ad adorandum infantem, dicentes turbis vicinis:

Venite, venite, adoremus Dominum, quia ipse est Salvator noster.

Interim magi, prodeuntes quisque de angulo suo, quasi de regione sua, conveniant ante altare, vel ad ortum stellæ, et dum appropinquant PRIMUS *dicat:*

Stella fulgore nimis rutilat.

SECUNDUS.

Quem venturum olim propheta signaverat.

Tunc stantes collaterales, dicat dexter ad medium: Pax tibi frater; *et ille respondeat:* Pax quoque tibi; *et osculentur sese: sic medius ad sinistrum, sic sinister ad dextrum. Salutatio cuique.* DEXTER *ad medium:*

Pax tibi, frater!

Responsio cujusque:

Pax quoque tibi!

Tunc ostendant sibi mutuo [stellam]:

Ecce stella! ecce stella! ecce stella!

Procedente autem stella, sequentur ipsi præcedentem stellam dicentes:

Eamus ergo et inquiramus eum, offerentes ei munera, aurum, thus, et myrrham, quia scriptum didicimus: Adorabunt eum omnes reges, omnes gentes servient ei.

Venientes ad ostium chori, interrogent astantes:

Dicite nobis, O Ierosolimitani cives, ubi est expectatio gentium, ubi est qui natus est rex Judæorum, quem signis cœlestibus agnitum venimus adorare?

Quibus visis, Herodes mittat ad eos ARMIGERUM, *qui dicat:*

Quæ rerum novitas aut quæ vos causa subegit
Ignotas temptare vias? quo tenditis ergo?
Quod genus? unde domo? pacemne huc fertis an arma?

MAGI.

Chaldæi sumus; pacem ferimus;
Regem regum quærimus,
Quem natum esse stella indicat,
Quæ fulgore cæteris clarior rutilat.

ARMIGER *reversus salutat regem; flexo genu dicat:*

Vivat rex in æternum!

HERODES.

Salvet te gratia mea!

ARMIGER.

Adsunt nobis, Domine, tres viri ignoti, ab oriente venientes, novum natum quemdam regem quæritantes.

Tunc mittat HERODES *oratores vel interpretes suos ad magos, dicens:*

Læti inquisitores, qui sunt inquirite reges,
Affore quos nostris jam fama revolvit in oris.

INTERPRETES *ad Magos:*

Principis edictu, reges, præscire venimus
Quo sit profectus hic vester et unde profectus?

MAGI.

Regem quæsitum, duce stella significatum,
Munere proviso, properamus eum venerando.

ORATORES, *reversi ad Herodem.*

Reges sunt Arabum; cum trino munere natum
Quærunt infantem, quem monstrant sidera regem.

HERODES, *mittens Armigerum pro Magis.*

Ante venire jube, quo possim singula scire,
Qui sunt? cur veniant? quo nos rumore requirant?

ARMIGER.

Quo mandas citius, rex inclite, proficietur.

ARMIGER *ad Magos:*

Regia vos mandata vocant, non segniter ite.

ARMIGER, *adducens Magos ad Herodem:*

En Magi veniunt, et regem natum, stella duce, requirunt.

HERODES *ad Magos:*

Quæ sit causa viæ? qui vos? vel unde venitis?
Dicite.

MAGI.

Rex est causa viæ; reges sumus ex Arabitis;
Huc quærimus Regem regnantibus imperitantem,
Quem natum mundo lactat Judaica virgo.

HERODES.

Regem quem quæritis natum esse quo signo didicistis?

MAGI.

Illum regnare fatentes,
Cum mysticis muneribus
De terra longinqua adorare venimus,
Ternum Deum venerantes tribus cum muneribus.

Tunc ostendant munera; PRIMUS *dicat.*

Auro regem.

SECUNDUS.

Thure Deum.

TERTIUS.

Myrrha mortalem.

Tunc HERODES *imperat sinistris qui cum eo sedent in habitu juvenili, ut adducant Scribas qui indiversorio parati sunt barbati.*

Vos, mei sinistri,
Legisperitos ascite,
Ut discant in prophetis
Quod sentiant ex his.

SINISTRI *ad Scribas, et adducant eos cum libris prophetarum:*

Vos, legisperiti,
Ad regem vocati,
Cum prophetarum libris
Properando venite.

Postea HERODES *interroget Scribas, dicens:*

O vos, scribæ,
Interrogati dicite,
Si quid de hoc puero
Scriptum videritis in libro.

Tunc SCRIBÆ *diu revolvant librum, et tandem inventa quasi prophetica, dicant:* Vidimus, Domine, *&c. et ostendentes cum digito regi incredulo tradant librum.*

Vidimus, Domine, in prophetarum
Lineis, nasci Christum
In Bethleem Judæ civitate,
David propheta sic vaticinante.

CHORUS.

Bethleem non es minima, etc.

Tunc Herodes, visa prophetica, furore accensus, projiciat librum; at FILIUS *ejus, audito tumultu, procedat pacificaturus patrem, et stans salutet eum:*

Salve, pater inclite,
Salve, rex egregie,
Qui ubique imperas,
Sceptra tenens regia.

HERODES.

Fili amantissime,
Digne laudis munere,
Laudis pompam regiæ
Tuo gerens nomine,

Rex est natus fortior,
Nobis[que] potentior;
Vereor ne solio
Nos extrahet regio.

Tunc FILIUS *despective loquens, offerat se ad vindictam, dicens:*

Contra illum regulum,
Contra natum parvulum,
Jube, pater, filium
Hoc inire prælium.

Tunc demum dimittat HERODES *Magos ut inquirant de puero, et coram eis spondeat regi nato, dicens:*

Ite, et de puero diligenter investigate,
Et invento, redeuntes michi renunciate.
Ut ego veniens adorem eum.

Magis egredientibus, præcedat stella eos, quæ nondum in conspectu Herodis apparuit, quam ipsi sibi mutuo ostendentes, procedant. Qua visa Herodes et filius minentur cum gladiis.

Ecce! stella in oriente prævisa
Iterum præcedit nos lucida.

Interim PASTORES, *redeuntes a præsepe, veniant gaudentes et cantantes in eundo.*

O regem cœli!

Ad quos MAGI:

Quem vidistis?

PASTORES.

Secundum quod dictum est nobis ab angelo de puero isto, invenimus infantem pannis involutum et positum in præsepio, in medio duum animalium.

Postea, pastoribus abeuntibus, MAGI *procedant post stellam usque ad præsepe, cantantes:*

Quæ non prævalent propria magnitudine,
Cœlum, terra, atque maria lata capere,

De virgineo natus utero,
Ponitur in præsepio,
Sermo cecinit quem vatidicus:
Stat simul bos et asinus.

Sed oritur stella lucida
Præbitum Domino obsequia,
Quem Balaam ex Judaica
Nasciturum dixerat prosapia.

Hæc nostrorum oculos fulguranti lumine perstrinxit lucida,
Et nos ipsos provide ducens ad cunabula resplendens fulgida.

Tunc OBSTETRICES *videntes, Magos alloquantur:*

Qui sunt hii qui, stella duce,
Nos adeuntes inaudita ferunt?

MAGI.

Nos sumus quos cernitis reges Tharsis et Arabum et Saba, dona ferentes Christo nato, regi Domino, quem, stella ducente, adorare venimus.

OBSTETRICES *ostendentes puerum:*

Ecce, puer adest quem quæritis. Jam properate et adorate, quia ipse est redemptio mundi.

MAGI.

Salve, rex sæculorum!
Salve, Deus Deorum!
Salve, salus mortuorum!

Tunc procedentes Magi, adorent Puerum et offerent.

PRIMUS *dicat:*

Suscipe, rex, aurum, regis signum.

SECUNDUS.

Suscipe myrrham, signum sepulturæ.

TERTIUS.

Suscipe thus, tu vere Deus.

Istis factis, Magi incipiant dormire ibi ante præsepe, donec Angelus desuper apparens, moneat in somnis ut redeant in regionem suam per aliam viam.

ANGELUS *dicat:*

Impleta sunt omnia quæ prophetice scripta sunt. Ite viam remeantes aliam, nec delatores tanti regis puniendi eritis.

MAGI *evigilantes:*

Deo gratias! surgamus ergo, visione moniti angelica, et, calle mutato, lateant Herodem quæ vidimus de puero.

Tunc MAGI *abeuntes per aliam viam, non vidente Herode, cantent:*

O admirabile commercium! Creator omnium.

Tunc venientes choro, dicent:

Gaudete, fratres,
Christus nobis natus est,
Deus homo factus est!

Tunc CANTOR *incipit:*

Te Deum, etc.

Sic finit.

INTERFECTIO PUERORUM.

Ad interfectionem puerorum, induantur INNOCENTES *stolis albis, et, gaudentes per monasterium, orent dominum dicentes :* Quam gloriosum, *etc. Tunc Agnus ex improviso veniens, portans crucem, antecedat eos huc et illuc, et illi sequentes cantent :*

Quam gloriosum est regnum!
Emitte Agnum, Domine.

Interim ARMIGER *quidam offerat Herodi sedenti sceptrum suum, dicens :*

Super solium David.

Interea Angelus super præsepe apparens, moneat Joseph fugere in Ægyptum cum Maria. ANGELUS *dicat tribus vicibus :* Joseph! Joseph! Joseph! Joseph! fili David!

Postea dicat hæc :

Tolle puerum et matrem ejus et vade in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam ; futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

JOSEPH *abiens, non vidente Herode, cum Maria portante puerum, dicens :*

Ægypte, noli flere.

Interim ARMIGER *nuncians Magos per aliam viam rediisse, salutet prius regem, postea dicat :*

Rex, in æternum vive!
Delusus es, domine;
Magi per viam redierunt aliam.

Tunc HERODES, *quasi correptus, arrepto gladio, paret seipsum occidere, sed prohibeatur tandem a suis et pacificetur, dicens :*

Incendium meum ruina restinguam.

Interea INNOCENTES, *adhuc gradientes post Agnum, decantent :*

Agno [jam] Sancto pro nobis mortificato,
Splendorem patris, splendorem virginitatis,
Offerimus Christo sub signo numinis isto ;
Multis ira modis ut quos inquirit Herodis,
A quo salvemur, cum Christo commoriemur.

ARMIGER *suggerat Herodi, dicens :*

Discerne, Domine ; vindicare iram tuam, et stricto mucrone jube occidi pueros ; forte inter occisos occidetur et Christus.

HERODES *tradens ei gladium, dicens :*

Armiger eximie, pueros fac ense perire.

Interim, occisoribus venientibus, subtrahatur Agnus clam, quem abeuntem salutant INNOCENTES, *dicentes :*

Salve, Agnus Dei, salve
Qui tollit peccata mundi.
Alleluia!

Tunc MATRES *occisorum orent occidentes :*

Oremus, teneræ natorum parcite vitæ.

Postea, jacentibus infantibus, ANGELUS *ab excelso appareat, et moneat eos, dicens :*

Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et clamate.

INFANTES *jacentes :*

Quare non defendis sanguinem nostrum, Deus noster?

ANGELUS.

Adhuc sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum.

Tunc inducatur RACHEL, *et duæ consolatrices, et stans super pueros plangat, cadens aliquando, dicens :*

Heu! teneri partus! laceros quos cernimus artus!
Heu! dulces nati, sola rabie jugulati!
Heu! quem nec pietas nec vestra coercuit ætas!
Heu! matres miseræ quæ cogimur ista videre!
Heu! quid nunc agimus? cur non hæc facta subimus?
Heu! quid . . . . memores? nostrosque levare dolores
Gaudia non possunt, nam dulcia pignora desunt.

CONSOLATRICES *excipientes eam cadentem, dicentes :*

Noli, virgo Rachel, noli, dulcissima mater,
Pro nece parvorum fletus retinere dolorum.
Si quæ tristaris exulta quæ lacrimaris,
Namque tui nati vivunt super astra beati.

Item RACHEL *dolens :*

Heu! heu! heu!
Quomodo gaudebo, dum mortua membra videbo?
Dum sic commota fuero per viscera tota?
Me facient vere pueri sine fine dolere.
O dolor, o patrum mutataque gaudia matrum!
Ad lugubres luctus lacrimarum fundite fluctus,
Judeæ florem, patriæ lacrimando dolorem.

Item CONSOLATRICES :

Quid tu virgo mater
Rachel plorans formosa?
Cujus vultum Jacob delectat,

Seu sororis agniculæ
Limpitudo eum juvat.
Terge, mater, flentes oculos.
Quam te decent genarum rivuli!

Item RACHEL:

Heu! heu! heu!
Quid me incusatis fletus incassum fudisse?
Cum sim orbata nato [qui] paupertatem meam curaret.
Qui non hostibus cederet
Angustos terminos
Quos michi Jacob adquisivit.
Quique stolidis fratribus,
Quos multos, pro dolor! extulit,
Esset profuturus.

Tunc CONSOLATRICES *esupinantes infantes, dicentes:*

Numquid flendus est iste
Qui regnum possidet cæleste?
Quique prece frequenta
Miseris fratribus
Apud Deum auxilietur?

Item RACHEL, *cadens super parvulos:*

Anxiatus in me spiritus meus,
In me turbatum est cor meum.

Tunc Consolatrices abducant Rachel, et ANGELUS *interim de supernis dicat antiphonam quæ sequitur:*

Sinite parvulos, etc.

Ad vocem Angeli surgentes PUERI *intrent chorum, dicentes:*

O Christe! quantum patri exercitum
Juvenis doctus ad bella maxima
Pop[u]lis prædicans colligis, umbras
Suggens cum tantum miseris.

Dum hæc fiunt, tollatur Herodes, et substituatur in loco ejus filius ejus Archelaus, et exaltetur in regem.

Interim ANGELUS *commoneat Joseph in Ægyptum, quo prius secessit, dicens:*

Joseph! Joseph! fili David! revertere in terram Judam; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.

Tunc JOSEPH *revertatur cum Maria et Puero, secedens in partes Galileæ, dicens:*

Gaude, gaude, gaude,
Maria virgo, cunctas hæreses, etc.

CANTOR *incipit:*

Te Deum laudamus, etc.

MYSTERIUM
RESURRECTIONIS D. N. JHESU CHRISTI.

Ad faciendam similitudinem dominici sepulchri, primum procedant tres fratres præparati et vestiti in similitudinem trium Mararum, pedetentim et quasi tristes alternantes, hos versus cantantes.

PRIMA *earum dicat:*

Heu! pius pastor occidit,
Quem culpa nulla infecit!
O res plangenda!

SECUNDA.

Heu! verus pastor obiit,
Qui vitam sanctis contulit!
O mors lugenda!

TERTIA.

Heu! nequam gens Judaica!
Quam dira frendens vesania!
Plebs execranda!

PRIMA.

Cur nece pium impia
Dampnasti Jhesum invida?
O ira nefanda!

SECUNDA.

Quid justus hic promeruit
Quod crucifigi debuit?
O gens dampnanda!

TERTIA.

Heu! quid agemus miseræ
Dulci magistro orbatæ?
Heu! sors lacrimanda!

PRIMA.

Eamus ergo propere,
Quod solum quimus facere,
Mente devota.

SECUNDA.

Condimentis aromatum
Ungamus corpus sanctissimum;
Quo pretiosa.

TERTIA.

Nardi vetet commixtio,
Ne putrescat in tumulo
Caro beata.

Cum autem venerunt in chorum, eant ad monumentum quasi quærentes, et cantantes omnes simul hunc versum:

Sed nequimus hoc patere sine adjutorio:
Quisnam saxum hoc revolvet ab monumenti ostio?

Quibus respondeat ANGELUS *sedens foris, ad caput sepulcri, vestitus alba deaurata, mitra tectus caput, etsi deinfulatus, palmam in sinistra, ramum candelarum plenum tenens in manu dextra, et dicat moderata et admodum gravi voce:*

Quem quæritis in sepulcro?
O christicolæ!

MULIERES.

Jhesum Nazarenum crucifixum,
O cœlicola!

Quibus respondeat ANGELUS:

Quid, christicolæ, viventem quæritis cum mortuis?
Non est hic, sed surrexit, prout dixit discipulis.
Mementote quid jam vobis locutus est in Galilea,
Quod Christum oportebat pati, atque die tertia
Resurgere cum gloria.

MULIERES *conversæ ad populum cantent:*

Ad monumentum Domini venimus
Gementes; angelum Dei sedentem vidimus
Et dicentem quod surrexit a morte.

Post hæc MARIA MAGDALENE, *relictis duabus aliis, accedat ad sepulcrum, in quod sæpe aspiciens, dicat:*

Heu dolor! heu! quam dira doloris angustia!
Quod dilecti sum orbata magistri præsentia;
Heu! quis corpus tam dilectum sustulit e tumulo?

Deinde pergat velociter ad illos qui in similitudine Petri et Johannis præstare debent erecti, stansque ante eos quasi tristis, dicat:

Tulerunt Dominum meum,
Et nescio ubi posuerunt eum,
Et monumentum vacuum est inventum,
Et sudarium cum sindone repositum.

Illi autem hoc audientes velociter pergent ad sepulcrum ac si currentes; sed junior, S. Johannes, perveniens stet extra sepul-

crum, senior vero, S. Petrus, sequens eum, statim intret, postquam et Johannes intret; cum inde exierint, JOHANNES *dicat:*

Miranda sunt quæ vidimus!
An furtim sublatus est Dominus?

Cui PETRUS.

Imo, ut prædixit vivus,
Surrexit, credo, Dominus.

JOHANNES.

Sed cur liquit in sepulcro
Sudarium cum linteo?

PETRUS.

Ista quia resurgenti
Non erant necessaria
Imo resurrectionis
Restant hæc indicia.

Illis autem abeuntibus, accedat MARIA *ad sepulcrum, et prius dicat:*

Heu! dolor! heu! quam dira doloris angustia!
Quod dilecti sum orbata magistri præsentia.
Heu! quis corpus tam dilectum sustulit e tumulo?

Quam alloquantur DUO ANGELI *sedentes infra sepulcrum, dicentes:*

Mulier, quid ploras?

MARIA.

Quia tulerunt Dominum meum,
Et nescio ubi posuerunt eum.

ANGELUS.

Noli flere, Maria; resurrexit Dominus.
Alleluia!

MARIA.

Ardens est cor meum desiderio
Videre Dominum meum;
Quæro et non invenio
Ubi posuerunt eum.
Alleluia!

Interitu veniat quidam præparatus in similitudinem hortulani, stansque ad caput sepulcri, dicat:

Mulier, quid ploras? quem quæris?

MARIA.

Domine, si tu sustulisti eum, dicito michi ubi posuisti eum, et ego eum tollam.

Et ILLE:

Maria!

Atque procidens ad pedes ejus, MARIA *dicat:*

Rabboni!

At ille subtrahat se, et quasi tactum ejus devitans dicat:

Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum et Patrem vestrum, Dominum meum et Dominum vestrum.

Sic discedat Hortulanus, MARIA *vero, conversa ad populum, dicat:*

Congratulamini michi omnes qui diligitis Dominum, quia quem quærebam apparuit michi, et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum meum. Alleluia!

Tunc DUO ANGELI *exeant ad ostium sepulcri, ita ut appareant foris, et dicant:*

Venite et videte locum ubi positus erat Dominus.
Alleluia!
Nolite timere vos;
Vultum tristem jam mutate:
Jhesum vivum nunciate:
Galileam jam adite:
Si placet videre, festinate:
Cito euntes dicite discipulis quod surrexit Dominus.
Alleluia!

Tunc Mulieres discedentes a sepulcro dicant ad plebem:

Surrexit Dominus de sepulcro,
Qui pro nobis pependit in ligno.
Alleluia!

Hoc facto, expandant sindonem, dicentes ad plebem:

Cernite vos, socii, sunt corporis ista beati
Lintea, quæ vacuo jacuere relicta sepulcro.

Postea ponant sindonem super altare, atque revertentes alternent hos versus: PRIMA *dicat:*

Resurrexit hodie Deus Deorum.

SECUNDA.

Frustra signas lapidem, plebs Judeorum.

TERTIA.

Jungere jam populo christianorum.

Item PRIMA *dicat:*

Resurrexit hodie Rex angelorum.

SECUNDA.

Ducitur de tenebris turba piorum.

TERTIA.

Reseratur aditus regni cœlorum.

Interea is qui ante fuit Hortulanus, in similitudinem DOMINI *veniat, dalmaticatus candida dalmatica, candida infula infulatus, phylacteria pretiosa in capite, crucem cum labaro in dextra, textum auro paratorium in sinistra habens, et dicat mulieribus:*

Nolite timere vos, ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galileam, ibi me videbunt sicut prædixi eis.

CHORUS.

Alleluia!
Resurrexit hodie Dominus.

Quo finito, dicant OMNES *insimul:*

Leo fortis, Christus filius Dei.

Et CHORUS *dicat:*

Te Deum laudamus, etc.

Explicit.

MYSTERIUM
APPARITIONIS D. N. JHESU CHRISTI
DUOBUS DISCIPULIS IN EMMAUS VICO.

Sanctæ Mulieres.

PRIMA MARIA.

Heu! miseræ! cur contigit videre mortem Salvatoris?

SECUNDA MARIA.

Heu! redemptio Israel, ut quid mortem sustinuit?

TERTIA MARIA.

Heu! consolatio nostra, ut quid taliter agere voluit?

OMNES *insimul.*

Jam jam ecce jam properemus ad tumulum
Ungentes corpus sanctissimum.

Ad faciendam similitudinem Dominicæ apparitionis in specie peregrini, quæ fit in tertia feria Paschæ ad vesperas, procedant DUO, *a competenti loco, vestiti tunicis solummodo, et cappis capuciis absconsis, ad modum chlamidis, pileos in capitibus habentes, et baculos in manibus ferentes, et cantent modica voce:*

Jhesu, nostra redemptio,
Amor et desiderium,
et cæteri versus.

Hæc his cantantibus, accedat quidam alius in similitudine Domini, peram cum longa palma gestans, bene ad modum peregrini paratus, pileum in capite habens, hacla vestitus et tunica, nudus pedes, latenterque eos retro sequatur, finitisque versibus, veniat eis:

Qui sunt hii sermones quos confertis invicem ambulantes, et estis tristes? Alleluia!

Alter autem ex duobus, converso vultu, ad eum dicat:

Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Alleluia!

CUI PEREGRINUS

Quæ?

AMBO DISCIPULI.

De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo, quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum, et super omnia tertia dies est quo hæc facta sunt. Alleluia!

His dictis, PEREGRINUS, *gravi voce, quasi eos increpando, cantare incipiat:*

O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Alleluia!

Nonne sic oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam? Alleluia!

Quo facto fingat se velle discedere: IPSI *autem retineant eum et dicant:*

Sol occasum expetit,
Jam hospitari expedit;
Sane noli deserere
Nos, jam instante vespere,
Sed mane nobiscum, domine,
Quo satiemur plenissime,
Quo delectemur maxime
Tui sermonis dulcedine.
Mane nobiscum,
Quum advesperascit et inclinata est jam dies.
Alleluia!

Sol vergens ad occasum suadet ut nostrum velis hospitium, placet enim nobis sermones tuos [audire] quos confers de resurrectione magistri nostri. Alleluia!

His dictis, eant sessum in sedibus ad hoc præparatis, et afferatur eis aqua ad lavandum manus suas. Deinde mensa bene parata super quam sit positus panis inscissus, et tres nebulæ, et calix cum vino. Accipiens autem panem, elevatum in altum dextra benedicat, frangatque, singulis partibus cantando:

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

Deinde det uni eorum calicem, et dicat:

Isti sunt sermones quos dicebam vobis, cum essem.
Alleluia! Alleluia!

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; manete in dilectione mea.

His dictis, illis manducantibus de nebulis, ipse latenter discedat, quasi illis nescientibus. Intervallo autem parvo facto, aspicientes ad invicem, et illo non invento inter se, quasi tristes sur-

gant, et eum relicta mensa quærere incipiant, et suaviter incedentes hos versus alta voce dicant:

Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jhesu, dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis scripturas.

Heu miseri! ubi erat sensus noster quando intellectus abierat? Alleluia!

Venientibus in choro, CHORUS *dicat:*

Surrexit Dominus et apparuit Petro. Alleluia!

Interim veniat DOMINUS *colobio candido vestitus, cappa rubra superindutus, ob signum passionis crucem auream in manu gestans, infulatus candida infula, cum aurifrisia, stansque in medio eorum, dicat:*

Pax vobis! Ego sum. Nolite timere.

Et CHORUS *dicat:*

Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Tunc DOMINUS:

Pax vobis!

Et CHORUS:

Iste formosus, in stola sua gradiens, in multitudine fortitudinis suæ?

Et tertio DOMINUS:

Pax vobis!

Et CHORUS:

Surrexit Dominus de sepulcro,
Qui pro nobis pependit in ligno.
Alleluia! Alleluia! Alleluia!

Et DOMINUS.

Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra?
Solus calcavi torcular, et de gentibus non est vir mecum.

Et monstret manus ejus et pedes minio rubicatos.

Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Alleluia! Alleluia!

Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut videtis me habere, jam credite.

Quæ dum cantaverit accedant discipuli, palpent ejus manus et pedes. Hoc peracto, dicat DOMINUS *extenta manu super illos:*

Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Alleluia!

Quo percantato, Dominus exiens per ostium, ex adverso chori, DISCIPULI *autem appropinquant, pedetentim incedentes, alternando hos versus:*

Adam novus veterem duxit ad astra;

Creatorem recolit jam creatura.
Sancta Maria Jacobi cum Magdalena,
Et Maria Salome ferunt unguenta.
Quod dixit Angelus in veste alba:
Resurrexit Dominus, morte calcata;
Fracta linquens tartara et spoliata,
Refert secum spolia victor ad astra.
Se demonstrat prisca forma præclara,
Dilectis discipulis in Galilea.
Comes factus increpat latens in via;
Scripta reserat pius arcana.
Convivans agnoscitur propria forma,
Panis reddit fractio lumina clara.
Sibi laus et gloria!

Interea veniat quidam in similitudine Thomæ, vestitus tunica et chlamide serico, baculum in manu habens et pileum aptum in capite, cui DISCIPULI:

Thomas, vidimus Dominum.

THOMAS.

Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Interim veniat DOMINUS *colobio candido et cappa rubra vestitus, coronam gestans in capite ex amicto et phylacteriis compositam, crucem auream cum vexillo in dextra, textum evangelii habens in sinistra, qui dum chorum intraverit, dicat:*

Pax vobis!

CHORUS.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Dominus et illuxit nobis!

DOMINUS.

Pax vobis! Ego sum: nolite timere vos.

CHORUS.

Hæc est dies quam fecit Dominus; exultemus et lætemur in ea.

Deinde DOMINUS *dicat ad Thomam:*

Thoma, fer digitum tuum huc, et vide manus meas.

Et monstret vulnera, dicens:

Mitte manum tuam, et cognosce loca clavorum. Alleluia!
Et noli esse incredulus, sed fidelis. Alleluia!

Palpatis autem a THOMA *cicatricibus Domini, procidat ad pedes ejus, dicens:*

Dominus meus et Deus meus!

Tunc DOMINUS:

Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt! Alleluia!

Data est michi omnis potestas in cœlo et in terra. Alleluia!
Non vos relinquam orphanos. Alleluia!
Vado et venio ad vos. Alleluia!
Et gaudebit cor vestrum. Alleluia!
Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ. Alleluia!
Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit. Alleluia!

Tuncque DISCIPULI *accedentes ducant eum per chorum ut videatur a populo, cantantes:*

Salve festa dies, etc.

MYSTERIUM
CONVERSIONIS BEATI PAULI APOSTOLI.

Ad repræsentandam Conversionem beati Pauli Apostoli, paretur in competenti loco, quasi Jerusalem, quædam sedes, et super eam princeps sacerdotum. Paretur et alia sedes, et super eam juvenis quidam, in similitudinem Sauli, habeatque secum ministros armatos. Ex alia vero parte, aliquantulum longe ab his sedibus, sint paratæ quasi in Damasco duæ sedes, in altera quarum sedeat vir quidam nomine Judas, et in altera princeps sinagogæ Damasci, et inter has duas sedes sit paratus lectus, in quo jaceat vir quidam in similitudine Ananiæ.

His ita paratis, dicat SAULUS *ministris suis :*

Propalare vobis non valeo
Quam ingenti michi sint odio
Christicolæ, qui per fallaciam
Totam istam seducunt patriam.

Ite, ergo, ne tardaveritis,
Et quoscunque tales poteritis
Invenire, vi comprehendite,
Comprehensos vinctos adducite.

Hoc audientes MINISTRI *abeant, et cum redierint duos sumptos ad dominum suum conducant, dicentes :*

Christicolas multos invenimus,
Et ex illis [hos] retinuimus ;
In Damascum fugerunt alii
Seductores hujus consortii.

Tunc SAULUS *quasi iratus surgat, et ad principem sacerdotum eat, cumque ad eum veniat, dicat :*

Vestræ michi dentur epistolæ
In Damascum, ubi christicolæ
Blandis verbis suæ fallaciæ
Gentem hujus seducunt patriæ.

Tunc PRINCEPS SACERDOTUM *det ei aliquid breve sigillatum, et dicat :*

Trado vobis meas epistolas
In Damascum contra christicolas ;

Evadere ne dimiseritis
Christicolis quos invenietis.

[*Tunc* VOX, *ex alto* :]
Saule! Saule! quid me persequeris?
Vidi mala quæ meis feceris;
Quem dilexi cur noces populo?
Recalcitres nequaquam stimulo.

Hoc audito, SAULUS, *quasi semi-mortuus, in terram cadat, et jam non cadens, dicat :*

Quid sic faris? Quis es tu, Domine?
Cur me meo privasti lumine?
Quando tuum afflixi populum?
Quis es? et quid tibi vocabulum?

DOMINUS.

Jhesus vocor, quem tu persequeris,
Cujus sæpe servos afflixeris;
Surgens tamen urbem ingredere,
Et audies quid debes facere.

Tunc resurgat Saulus, cumque homines sui viderint eum excæcatum, apprehendant eum et ducant in Damascum ad domum Judæ. Tunc veniat DOMINUS *ad Ananiam, et dicat :*

Anania! Surge quam propere,
Atque Judæ domum ingredere.
Te expectat vir Saulus nomine;
Dices ei quæ debet facere.

ANANIAS.

De hoc Saulo audivi plurima;
Fecit tuis mala quam maxima,
Si quem videt qui tibi serviat
Sæpius furit ut eum destruat.

Hic principis habet epistolas
Ut occidat omnes christicolas,
His de causis hunc Saulum timeo;
Ad hunc Saulum ire non audeo.

Item DOMINUS.

Anania! Surge velociter;
Quære Saulum fiducialiter.
Ecce enim orat ut venias,
Et ut eum videre facias.

Hunc elegi meo servitio;
Hunc elegi pro consortio;
Hic elegi ut de me prædicet,
Et nomen meum clarificet.

Tunc surgens ANANIAS *domum Judæ introeat, et cum viderit Saulum dicat :*

Ad te, Saule, me misit Dominus
Jhesus Christus, Patris excelsi Filius,
Qui in via tibi apparuit :
Ut venirem ad te me monuit.

Prædicabis coram principibus
Nomen ejus, et coram gentibus ;
Ut sis civis cœlestis patriæ,
Multa feres pro Christi nomine.

Tunc surgat SAULUS, *et quasi jam credens et prædicans, alta voce dicat :*

Cur, Judæi, non resipiscitis ?
Veritati cur contradicitis ?
Cur negatis Mariam virginem
Peperisse Deum et hominem ?

Jhesus Christus, Mariæ filius,
Et Deus est et homo carneus,
Deitatem a Patre retinens,
Et a matre carnem suscipiens.

Hæc audiens, PRINCEPS SINAGOGÆ *Damasci ministris suis armatis dicat :*

Custodite urbis introitus,
Conservate viarum exitus,
Et quam cito Saulum videritis
Mortem ei ne distuleritis.

Tunc ministri eant et quærant Saulum; quo comperto, Saulus, cum discipulis suis, in sporta ab aliquo alto loco, quasi a muro, ad terram demittatur. Cum autem venerit in Jherusalem, occurrat ei vir unus, in similitudine BARNABÆ, *qui, cum viderit Saulum, ei dicat :*

Te elegit Mariæ Filius,
Ut sis fratrum nostrorum socius.
Nunc ut laudes nobiscum Dominum,
Veni, vide nostrum collegium.

Ad Apostolos :

Gaudeamus, fratres, in Domino,
Collætemur de tanto socio.
Qui nunc erat lupus sævissimus,
Nunc est agnus mansuetissimus.

OMNES APOSTOLI *incipiunt :*

Te Deum laudamus, etc.

Sic finitur.

MIRACULUM RESURRECTIONIS B. LAZARI.

Incipiunt versus de resurrectione Lazari.

In primis adducatur Simon cum quibusdam Judæorum, et resideat in domum suam. Post hæc veniat Jhesus Christus in plateam, cum discipulis cantantibus, In sapientia disponens omnia, etc, *vel:* Mane prima sabbati, etc. *Et tunc veniat* SIMON *ad Jhesum, invitans eum in domum suam, dicens:*

Per immunditiam meæ carnis,
Tuam potentiam declarare
Tu dignare.
Nobis optatum dones gaudium,
Et digneris nostrum hospitium
Subintrare.

JHESUS *dicat ad discipulos:*

Audit, fratres, vestra dilectio
Quid amici petat devotio;
Audiatur.
Subintremus ejus hospitium,
Atque suum jam desiderium
Compleatur.

Tunc Simon inducat Jhesum in domum suam, et, posita mensa, veniat Maria in habitu per plateam meretricio, et cadat ad pedes Domini, unde Simon indignans secum suaviter dicat: Si hic homo esset a Deo, etc. *(Require in evangelio.) Tunc* JHESUS *dicat ei:*

Loqui tecum, o Simon, habeo,
Namque tuos aperte video
Cogitatus.

SIMON.

Nunc, Magister, quod placet loquere;
Auscultando quidquid vis dicere
Sum paratus.

JHESUS.

Debitores vir duos habuit,
Alter minus, alter plus debuit
Creditori.

Non valenti referre creditum,
Condonavit utrique debitum
Debitori.
Nunc demonstret tuum judicium
Quis hunc virum debet debentium
Plus amare?

SIMON.

Credo causam majorem habuit
Diligendi vir qui plus debuit,
Doctor care.

JHESUS.

Equus judex fuisti nimium!
Istud tuum, Simon, judicium
Ne quid frangi.
Tecum dicis si hanc mulierem
Cognovissem, me non permitterem
Ab hac tangi.
Hospes meus in hoc hospitio,
Pedes aqua vel caput oleo
Non suffudit.
Pedes meos rigavit lacrymis,
Caput meum unguentis optimis
Hæc perfudit.

Tunc dicat JHESUS *ad Mariam:*

Dilexisti multum, o femina!
Tui fletus tua peccamina
Diluerunt.
Illud enim oris confessio
Atque illa cordis compunctio
Meruerunt.

His factis, surgat Maria et ibi resideat. Tunc Jhesus cum discipulis inde discedat, et abeat quasi in Galileam, et sit præparatus quidam locus ubi resideat. Postea recedant Judæi in quemdam alium locum, quasi in Jerusalem, ut inde in competenti loco veniat [Jhesus] consolari duas sorores. Domus vero ipsius Simonis, ipso remoto, efficiatur quasi Bethania, et tunc adducatur Martha. Lazarus autem incipiat infirmari, quo infirmante, dicat MARTHA:

Cara soror, hunc miserabilem
Esse reor immedicabilem
Morbum fratris.
Ut germano reddatur sanitas,
Est oranda summa benignitas
Nostri Patris.

Ipse solus nostra protectio,
Nostra solus est consolatio,
Sed nunc abest;
Abest quidem, sed corporaliter,
Qui ubique potentialiter
Præsens adest.

MARIA *respondeat:*
Transmittamus ei jam nuntium,
Et rogamus ei auxilium,
Et dabitur.
Si resciscat hæc infortunia,
Mox per ipsum nostra tristitia
Sedabitur.
Quamvis eum nil prorsus lateat,
Nostrum tamen legatum videat
Actualem,
Qui imploret ejus clementiam,
Nobis suam monstret præsentiam
Corporalem.

MARIA *loquitur ad nuntios sic:*
Hinc ad Jhesum, legati, pergite,
Et præsenti præsentes dicite
Hoc mandatum.
Nos rogamus ut nos exaudiat,
Et germanum sanare veniat
Infirmatum.
Per vos noscat quanta tristitia
Sit repleta sua familia
Pater bonus,
Ut virtute suæ potentiæ
Jam recedat tantæ tristitiæ
Tantum onus.

NUNTII *ad Jhesum:*
Ave, Jhesu, redemptor omnium!
Ad te quoddam portamus nuntium,
Et hoc audi.
Anularum dolorem respice,
Et earum jam vota suscipe,
Et exaudi.
Harum frater jacet in lectulo,
Magno morbi constrictus vinculo,
Sed solvatur.
Te præsentem eis exhibeas,
Atque morbum abire jubeas;
Hoc rogatur.

JHESUS *ad nuncios:*
Ibo quidem, sed nondum tempus est,
Hic nequaquam ad mortem morbus est,
Sat evadet.
Cum ægroto dabo remedium
Admirandus stupor astantium
Cor invadet.

Ad discipulos:
Quod sit æger, propter vos, gaudeo,
Quos tamdiu esse condoleo
Non credentes.
Jam jam vestri cordis duritiam
Deponetis, Christi potentiam
Admirantes.

JUDÆI *venientes consolari sorores, in itinere dicant:*
Jam Mariam et Martham, pariter
Conquerentes lamentabiliter,
Adeamus,
Et dolori fratrem mœrentium
Juxta nostrum posse solatium
Conferamus.

Jam præsentibus Judæis et moriente Lazaro, dicant MARIA *et* MARTHA:
Jam moratur et plus quam nimium
Ille qui est solus refugium
Nostræ spei.
Heu! heu! frustra hunc expectavimus;
Quod sanetur non esse cernimus
Valle Dei.
Ecce noster germanus moritur!
Jam fraternum corpus dissolvitur
Lege mortis.
Miserarum hic vicem gerimus,
Cum tam gravem excessum cerninus
Diræ sortis.
Care frater, frater carissime!
Legem mortis jam passus pessime,
Nos liquisti.
Propter primi peccatum hominis,
Generalis tormentum criminis
Jam sensisti.

JUDÆI *consolantes dicant:*
Non vos sternat hoc infortunium;
Inter tantos casus solatium
Est habendum.

Hac de causa vobis congeminus,
Sed defunctum non esse credimus
Sic deflendum.
Moriemur et nos similiter;
Omnes gentes aduncat pariter
Mortis hamus.
Tali lege intramus sæculum,
Ut quandoque carnis ergastulum
Exeamus.
Pro dilecti fratris interitu
Ne plorctis, in ejus exitu
Est gaudendum.
Liberatus multis suppliciis,
Jam evasit quod restat aliis
Patiendum.

Iterum SORORES:

Quam lugubres et mœstas hodie
Nos relinquis, frater egregie,
Nequid dici.
Crebros in nos assultus facient,
Bona nostra nobis subripient
Inimici.
Care frater, dilecte Lazare!
Nostro cœtu jam facto dispare,
Te deflemus.
Morti, quæ te nobis subripuit,
Nec nos tecum mori sustinuit,
Invidemus.

Iterum JUDÆI:

Si jam contra assultus hostium
Vobis ferre desistat clipeum
Vester frater,
Non vos linquit sine consilio,
Imo vestra fiet protectio
Summus Pater.
Satis scitis sic Deo placuit;
Ipse vestrum germanum voluit
Sic obire.
Voluntati sive potentiæ
Prohibetur nostræ miseriæ
Contraire.
Est rogandum nobis humillime,
Ut germani donetur animæ
Vera dies.

Sit in cœli locatus solio,
Ubi semper est exultatio
Atque quies.

Interea JHESUS *promoveat se ad iter, et dicat discipulis :*

In Judæam eamus rursum,
Dormientem a sompno Lazarum
Excitemus :
Et sorores ejus doloribus
Deprensas et multis fletibus
Confortemus.

DISCIPULI *ad Jhesum.*

In Judæam quare vis tendere?
Ut te perdant sat noscis quærere
Te Judæos.
Anne placet ut hii et alii
Gratulentur se homicidii
Esse reos?

JHESUS *ad illos.*

Non est vestrum me redarguere;
Imo vestrum est acquiescere
Verbis meis.
Virtus Dei qua adhuc tegitur
Per Judæos manifestabitur
In Judæos.

THOMAS.

Insequamur ejus vestigia;
Adimpleri sua consilia
Permittamus.
Festinemus cum eo pergere
In Judæam, et ibi vivere
Desistamus.

Jhesu adveniente, QUIDAM EX NUNCIIS *percurrens dicat Marthæ :*

Ecce vestrum adventat gaudium,
Ecce venit Salvator gentium;
Expectamus.
Jam jam vester dolor sedabitur,
Et per eum jam liberabitur
Infirmatus.

Tunc MARTHA *occurrens Jhesum, procidat ad pedes ejus et dicat :*

Quem mors ausa fuit invadere,
Si hic esset, nunc scirem vivere
Fratrem meum.

Tuam enim virtutem noscimus,
Et te corde profecto credimus
Esse Deum.
Sed et scimus quicquid poposceris,
Imo quicquid esse volueris,
Dabit Deus.
Si sic velis enim percipere,
A defunctis potest resurgere
Frater meus.

JHESUS *ad illam.*

Ne desperes fratrem resurgere,
Illum debes et potes credere
Surrecturum.
Nullum scias qui in me credere,
Atque michi vult acquiescere,
Moriturum.

MARTHA.

Hoc in meo fixum est animo,
Quod resurget die novissimo,
Die illa,
Qua supremum fiet judicium,
In quo caro resurget gentium
Ex favilla.

JHESUS.

Ego vestra sum resurrectio;
Nulla potest hos desperatio
Subintrare,
Quibus cura cum summo studio
Patris mei sese servitio
Prorsus dare.
Vade, voca Mariam concito,
Ad sepulchrum post me deducito
Tui fratris.
Fiet enim manifestissima,
Coram multis, virtus altissima
Mei Patris.

Tunc veniens Martha ad sororem, susurret ei in aure: Magister te vocat. *Maria tacite a domo egrediente, dicant* JUDÆI:

Sunt commota Mariæ viscera;
Causa flendi petit hæc misera
Monumentum.
Non debemus illam permittere
Tanto fletu tantum incurrere
Detrimentum.

Hoc dicentes Judæi sequentur eam; IPSA *vero corruens multoties ad pedes Domini dicat:*

Pietatis fons clementissime,
Contristatæ nostræ sunt animæ
Fratris causa.
Te absente, mors huc accedere
Atque fratrem nostrum obruere
Fuit ausa.
Miserere nostri, te petimus;
A te solo nos expectavimus
Confortari.
Miserere jam nostrum omnium;
Miserere, cujus est proprium
Consolari.

JHESUS, *fremens et lacrimans in se, dicat:*

Ad sepulcrum me jam deducite,
Atque michi locum ostendite
Sepulturæ.
Jam me movet vestra miseria,
Jam me movent vestra suspiria,
Vestræ curæ.

Tunc QUIDAM DE JUDÆIS *circumstantibus, quasi admirando, dicat:*

Hic qui cæci lumina aperuit,
Nonne mortem demere potuit
Ab ægroto?
Hic qui gentes ad preces instituit,
Cur sororum abesse voluit
Pio voto?

JHESUS *intrans in monumentum, dicet:*

Velox hujus saxi remotio,
Et speluncæ fiat operatio
Sine mora;
Quod debetis miranda cernere,
Atque Dei nomen extollere,
Hac in ora.

MARTHA.

Per bis duos dies jam jacuit!
Dat fetorem caro quæ putruit
Tumulati.

JHESUS.

Ne desperes, videbitis gloriam
Dei Patris, atquc potentiam
Sui Nati.

JHESUS, *elevatis oculis in cœlum, sic oret et dicat:*
Deus, cujus virtus et Filius
Æternalis, non temporaneus,
Credor esse;
Tuum Natum ut honorifices,
Atque meum nomen glorifices
Est necesse.

Ad Lazarum.
Tibi dico jam voce publica,
Exi foras atque lætifica
Cor parentum.
Tu sis dolor insidiantibus,
Atque certum sis dubitantibus
Argumentum.

Jam, Lazaro sedenti, dicat ministris:
Suscitatum confestim solvite,
Et solutum abire sinite.
Quid stupetis?
Omne Deo esse possibile,
Per hoc patet satis credibile
Quod videtis.

CHORUS.
Te Deum laudamus, etc.

Sic finitur.

MYSTERIUM FATUARUM VIRGINUM.

MYSTERIUM FATUARUM VIRGINUM.

Hoc est de Mulieribus.

Ubi est Christus meus Dominus et filius excelsus? eamus videre sepulcrum.

Angelus sepulcri custos.

Quem quæritis in sepulcro, o Christicolæ, non est hic; surrexit, sicut prædixerat. Ite, nunciate discipulis ejus, quia præcedet vos in Galilæam. Vere surrexit Dominus de sepulcro cum gloria. Alleluia.

SPONSUS.

Adest sponsus, qui est Christus:
Vigilate, virgines.
Pro adventu ejus gaudent
Et gaudebunt homines.

Venit enim liberare
Gentium origines,
Quas per primam sibi matrem
Subjugarunt dæmones.

Hic est Adam qui secundus
Per prophetam dicitur,
Per quem scelus primi Adæ
A nobis diluitur.

Hic pependit ut cœlesti
Patriæ nos redderet,
Ac de parte inimici
Liberos nos traheret.

Venit sponsus qui nostrorum
Scelerum piacula
Morte lavit, atque crucis
Sustulit patibula.

GABRIEL.

Oiet, virgines, aiso que vos dirum,
Aiset presen, que vos comandarum:
Atendet un espos, Jhesu Salvaire a nom.
Gaire no i dormet
Aisel espos que vos hor' atendet.

Venit en terra per los vostre pechet:
De la vergine en Betleem fo net,
E flum Jordan lavet et bateet.
Gaire no i dormet
Aisel espos que vos hor' atendet.

Eu fo batut, gablet, e lai deniet,
Sus en la crot batut, e clau figet:
Deu monumen deso entrepauset.
Gaire no i dormet
Aisel espos que vos hor' atendet.

E resors es, l'escriptura o dii,
Gabriels soi eu trames aici;
Atendet lo, que ja venra praici.
Gaire no i dormet
Aisel espos que vos hor' atendet.

FATUÆ.

Nos virgines, quæ ad vos venimus,
Negligenter oleum fundimus,
Ad vos orare, sorores, cupimus
Ut et illas quibus nos credimus.
Dolentas! chaitivas! trop i avem dormit.

Nos comites hujus itineris,
Et sorores ejusdem generis,
Quamvis male contigit miseris,
Potestis nos reddere superis.
[Dolentas! etc.]

Partimini lumen lampadibus,
Præsitis insipientibus,
Pulsæ ne nos simus a foribus,
Cum vos sponsus vocet in sedibus.
Dolentas! chaitivas! trop i avem dormit.

PRUDENTES.

Nos precari, precamur, amplius
Desinite, sorores, otius;
Vobis enim nil erit melius
Dare preces pro hoc ulterius.
Dolentas! chaitivas! trop i avetz dormit.

Ac ite nunc, ite celeriter,
Ac vendentes rogate dulciter
Ut oleum vestris lampadibus
Dent equidem vobis inertibus.
Dolentas! chaitivas! trop i avetz dormit.

" A ! miseræ nos ! hic quid facimus ?
Vigilare numquid potuimus ?
Hunc laborem quæ perferimus
Nobis [etiam] nosmed contulimus."
Dolentas ! chaitivas ! trop i avetz dormit.

" Et de nobis mercator otius
Quas habeat merces quas sotius,
Oleum nunc quærere venimus,
Negligentur quod nosme[d] fundimus."
Dolentas ! chaitivas ! trop i avetz dormit.

De nostr' oli queret nos a doner;
No n'auret pont, alet en achapter
Deus merchaans que lai veet ester.
Dolentivas ! chaitivas ! etc.

MERCATORES.

Donas gentils, no vos covent ester
Ni lojamen aici a demorer.
Cosel queret, no'n vos poem doner ;
Queret lo deu chi vos pot coseler.
Dolentas ! etc.

Alet areir a vostre saje seros,
E preiat las per Deu lo glorios,
De oleo fazen socors a vos :
Faites o tost, que ja venra l'espos.
Dolentas ! chaitivas ! etc.

VIRGINES FATUÆ.

A ! miseræ nos ! ad quid venimus ?
Nil est enim illut quod querimus.
Fatatum est mox videbimus,
Ad nuptias nunquam intravimus.
Dolentas ! chaitivas ! etc.

Audi, sponse, voces plangentium ;
Aperire fac nobis ostium ;
Cum sociis præbe remedium.

Modo veniat Sponsus.

CHRISTUS.

Amen, dico, vos ignosco,
Nam caretis lumine,
Quod qui perdunt procul pergunt
Hujus aulæ limine.

Alet, chaitivas ! alet, malaureas !
A tot jors mais vos so penas livreas,
En enfern ora seret meneias.

Modo accipiant eas dæmones et præcipitent in infernum.

Omnes gentes congaudentes
    Dent cantum læticiæ :
Deus homo fit de domo
    Davit natus hodie.

O Judæi, verbum Dei
    Qui negatis hominem,
Vestræ legis teste, regis
    Audite per ordinem.

Et vos gentes non credentes
    Peperisse virginem,
Vestræ gentis documentis
    Pellite caliginem.

Israel.

Israel, vir lenis, inque,
De Christo [quid] nosti firme.

Responsum.

Rex de Juda non tolletur
Donec adsit qui notetur.
Salutare Dei verbum
Expectabunt gentes mecum.

Moyses.

Legislator, huc propinqua,
Et de Christo prome digna.

Responsum.

Dabit Deus vobis vatem :
Huic, ut mihi, aurem date.
Qui non audit hunc dicentem
Expellitur sua gente.

Isaias.

Isayas, verum qui scis,
Veritatem cur non dicis?

Responsum.

Es necesse, virga Jesse,
    De radice provei,
Flos deinde surgas inde,
    Qui est spiritus Dei.

Jeremias.

Huc accede, Jeremias,
Dic de Christo prophetias.

Responsum.

Sic est. Hic est Deus noster,
Sine quo non erit alter.

DANIEL.

Daniel, indica
Voce prophetica
Facta dominica.

Responsum.

Sanctus sanctorum veniet,
Junctio deficiet.

[ABACUC.]

Abacuc, regis cœlestis
Nunc ostende quid sis testis.

Responsum.

Expectavi, mox expavi
Metu mirabilium,
Opus tuum inter duum
Corpus animalium.

DAVID.

Dic tu, David, de nepote,
Causas quæ sunt tibi notæ.

Responsum.

Universus grex conversus
Adorabit Dominum,
Cui futurum serviturum
Omne genus hominum.

Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextris meis.

SIMEON.

Nunc Symeon adveniat,
Qui responsum acceperat.
Qui non habet terminum
Donec videret Dominum.

Responsum.

Nunc me dimittis, Domine,
Finire vitam in pace;
Quia mei modo cernunt oculi
Quem misisti hunc modum pro salute populi.

ELISABET.

Illud, Helisabet, in medium
De Domino profer eloquium.

Responsum.

Quid est rei quod me mei
Mater eri visitat?
Nam ex eo ventre meo
Lætus infans palpitat.

[JOANNES BAPTISTA.]

De Babtista ventris cista
Clausus,
Quod dedisti causa Christi
Plausus;
Cui dedisti gaudium,
Profer testimonium.

Responsum.

Venit talis, sotularis
Cujus non sum etiam
Tam benignus ut sim dignus
Solvere corrigiam.

VIRGILIUS.

Vates, Maro, gentilium,
Da Christo testimonium.

Responsum:

Ecce polo demissa solo
Nova progenies est.

NABUCODONOSOR.

Age, face os laguenæ
Quæ de Christo nosti vere,
Nabucodonosor, prophetia
Auctorem omnium auctoriza.

Responsum.

Cum revisi tres quos misi
Viros in incendium,
Vidi justis inconbustis
Mixtum Dei Filium.
Viros tres in ignem misi,
Quartum cerna prolem Dei.

SIBILLA.

Vere pande jam, Sibilla,
Quæ de Christo præscis signa.

Responsum.

Juditii signum tellus sudore madescet.
Et cœlo rex adveniet
Per secla futura scilicet,
In carne præsens judicet orbem.
Judæa incredula,
Cur manes adhuc incredula?

Incohant Benedicamus . . . . .

COMŒDIA BABIONIS.

COMŒDIA BABIONIS.

" Me dolor infestat foris, intus, jugiter omnis,
Ultra si doleam, non ego ferre queam.
Causa quid est, taceo: sed obest tacuisse dolorem;
Quæ latet, ut referunt, plaga salute caret.
Cui retegam non est, non est cui fidere possum;
Alba nec est cornix, fida nec ulla fides.
Rem retegi timeo, timeo ne fabula fiam,
In capud hoc malo clava trinodis eat.
Rem referam mecum, soli michi fidere possum;
Sed quis hic est? sonuit vox sua, cerno virum.
Profuit hic tacuisse michi, tenuisse dolorem;
Profuit, ut didici, tendere colla grui.
Sed quis adest? fallor. Fallit dolor ipse dolentes:—
Accedam propius; est canis, ecce latrat!
Care Melampe, tace; stipis hesternæ memor esto;
Babio sum: latra, care Melampe, minus.
Ecce canis transit, sed adhuc dolor iste remansit;
Est individuus, mobilitate carens.
Væ! Viola! doleo, non alter id audiat ullus:
En! petit hanc Croceus, cor petit ille meum.
Non dabo, nec dabitur; Croceus petit, hancque negabo;
Sed formido preces principis esse minas.
Hanc dabo, si dicam, morior; rapui michi vitam:
Si data non fuerit, mors michi finis erit.
En! moriar, michi sit timor, hinc amor, hinc homicida;
Sed non sum timidus, præstat amore mori.
Sed, Babio, lepus es, et iners, si te bene novi; ***Babio ad***
Amens, si tibi mus parvus oberrat, eris. ***seipsum.***
Egi mira tamen; fuimus tres, paruit umbra,—
Spes erat esse lupum, mus erat ille brevis;
Fit fuga, percurrunt, sequor hos timido pede claudus:
Laus est dum fugimus tardius esse michi.
¶Qua ratione queam Viola caruisse sodali; ***Descriptio***
Ejus in ore favum mellificatis apes; ***Violæ.***
Sidera sunt oculi; quales fers, Phœbe, capilli;
Phillis inest digitis, in pede pes Thetidis;

Fert Helenæ faciem, gracilem præcincta Corinnam,
Meridiem risu, dente coequat ebur.
Talem cum videat, felix cui tangere fas est;
Thura die redolet, balsama nocte sapit.
Tota nitet Viola, niteat si pectore fido;
Sed mecum maneat, si procul ire neget.
Cum Croceo Violæ sunt convenientia nulla,
Ut color est impar, sic fore corda precor.
Ibo, loquar, nitar fragilem firmare puellam,
Sed solidum fragile non erit esse leve.
¶ Flos Viola, Violæ floris viror inviolati, *Babio Violæ.*
Effigies veris, meridiane decor;
Gemma tui generis, felix genitura parentis;
Si non invideant numina, pene dea.
Plus viola florens, Viola, plus flore recenti,
Plus precio præstans, plusque decore decens.
Et quid Denoneo Croceo plus inclita flore?
Cujus si spernas nomina, salvus ero.
Cum te non genui, genito michi carior omni,
Filia cum non sis, filia plusque michi.
Stabis, an abcedes? si stas, tunc vivere possum;
Si cedis, nequeo:—tu mea fata tenes.
Pulcra licet Croceo, deformis sit michi forma,
Non Paridem superat, non ego monstra sequor.
Et piper eligitur, et vellera nigra leguntur,
Et nix, cum maneat, esse molesta solet.
Esto michi domina, salvo tibi subdar honore,
Vult fore rex Croceus, Babio servus erit."
¶ "Quid michi cum Croceo? sibi quam vult eligat ille;
Vi, prece, vel precio, non ero pignus ei. *Viola Babioni.*
Auro si pascat, Tyrio si me tegat ostro,
Orbem si michi det, non michi carus erit.
Occidet ante polus, pelagus siccabitur ante,
Quam, Babio, Viola desinet esse tua.
¶ Vita foret sine te, mors est michi vivere tecum, *Viola*
Nunc utinam rapiar, est mora pœna michi." *ad se.*
¶ "Nox mea nunc abiit, michi nunc in mente diescit,
Jactatum pelago me modo portus habet. *Babio ad se.*
Dos michi nulla deest, Crœsi sum dives ad instar,
Liber ut Augustus, plus Jove pene potens.
Sum totus felix, si nox est ista fidelis;
Sum felix totus, si tibi par sit opus.
Oscula multa dabis, data sæpius hic iterabis,
Oris turribulum spargit aroma tui.
In lare quid sonuit? michi fit pruritus in aure
Rumores aderunt: det Deus esse bonos!"

¶ " Multa satis numero michi nunc gradiuntur aratra,
Ad libitum fiant amodo secla michi. *Fodius.*
Hostis abit Viola, Peculam securus habebo,
Post Violam potero liber adesse dolo.
Hanc odi, nostros nam semper comperit actus;
Jam non insidias qui michi tendat erit.
¶ Rem referam Peculæ,—Croceo tua filia nubet, *Fodius*
Vi tota sit ut id, nitere; nitar ego. *Petulæ.*
Hostia retro steti, Violam testudo tenebat,
Sic Babio Violæ, sic ea dixit ei.
Intulit ad nostra latitans audita recepi,
Det Deus hinc tollat! plus gemo morte moram.
Ecce domus tenet hunc; quidnam gerat, ibo, videbo.
Audio murmur ibi, murmura pondus habent."
¶ " Ecce venit Croceus, Violam vult ducere nuptam; *Babio.*
Ducere vult Violam, me premat ense prius.
¶ Fide Fodi, propera, bovis hinc procul eice fimum, *Babio*
Spargat mundatam rite papirus humum; *Fodio.*
Ligna struant ignem, circumdant fœna coronam,
Hinc sedem cumulam, fultra deinde loca.
Accelerate coquos, fac splendida cœna paretur,
Macta gallinam; sed nimis esse puto.
Dimidium serva, Croceo pars altera detur,
Quale soles sociis fac olus atque fabas.
Ecce bonus quadrans, eme panes, pocula, pisces;
Non opus est tantum promere, prome tamen.
De thalamo Pecula fac exeat, hosque salutet;
Fac lateat Viola, sitque reclusa sera.
Occurram, vultusque bonos conabor habere;
Hospitibus vultus quis scit habere bonos?"
¶ " O Babio! bubo bubone perosior omni! *Fodius*
Cum quadrante tuo fœda sub antra fores. *Babioni.*
O quales epulæ; brevis ales dimidiatur;
Caulibus atque fabis quam bene stabit hymen!
Semper eris quod eras, tribulus non deferet uvas!
Cum fuerit largus, fiet asellus equus."
¶ En! video Croceum; præit Eutalus, huncque sequuntur
Ventripotens Gulius et Bavo vasa vorans. *Babio.*
Bis duo! quis feret hæc? legio sit; væ Babioni!
Eutalus et Croceus, Gulius atque Bavo.
Dent digiti numerum; ni fallor, unus et alter
Tertius et quartus, vix numerare queo.
¶ Domne meus Croceus, valeas! valeantque cohortes!
¶ Heu michi! duo vale dicere posse velim. *Babio Croceo*
Os animum sequitur, Sathanæ sinus esse recuso; *clam.*
Det Deus ut prosit, sitque faceta salus.

¶ Pax tibi! paxque tuis! felix sors vos tulit ad nos, *Babio*
Est bene; non adeo rusticus est Babio. *Croceo.*
Non parce, doleo vos huc tam raro venisse.
¶ (Trans Alpes vellem vos modo ferre gradus!)
Intremus; sedite; male dixi, dico sedete;
Erro per insolitum grammatizare volens.
Nosco tamen logicam; bene præmeditando probabo
Quod Socrates Socrates, et quod homo sit homo.
Care magister, ades, ait unus falsa locutus;
Dicere quid docui, care magister, veni.
Dentur aquæ manibus; infundite; ponite mensam:
Dompne, sedete, precor; plebsque deinde tua.
Ferte fabas et olus; sociis sint fercula tanta;
Gallinæ Croceo crus sit et ala cibi.
Cum satiatus erit, sibi quisque superflua sumat,
Eutalus et socii, Gulius atque Bavo.
¶ Eutale, quando bibes? Bavo, non bibis; ebibe, Guli. *Babio*
¶ Quam male vos bibitis—(in mea dampna loquor) *clam.*
¶ Domne meus, comede: quid agis? facito prior offas.
¶ (Ultimus oro cibi offa sit ista tibi!) *Babio Croceo*
Tollite; suffecit; date limpham, more faceto, *clam.*
Vult medicus lavacrum prandia quæque sequi."
¶ "Quam petii repeto, Violam volo, nolo negetur; *Croceus*
Introeat; veniat; cur latet?" "Ægra jacet. *Babioni.*
¶ Non timor est; veniat; veniat, pax est et abibit. *Babio.*
¶ Ægra jaces, Viola? si potes, intro veni. *Babio Violæ.*
Non venies utinam; sis quolibet ægrior ægro;
Sed non ibis, habeat femina si qua fidem."
¶ "Sit Croceo Viola; flos hunc, flos denotat illam; *Fodius.*
Sic similis simili, consona nulla magis."
"Non negat hoc Pecula: non hoc nego, prospera nulla
Sint nobis, mulier fœdida, serve nequam. *Babio.*
¶ Vis Croceum, Viola?" "Volo, si vis." "Quid michi velle?
Quod vis ipsa velis, hoc michi velle nolo. *Babio. Viola. Ba.*
Fumus obest oculis nostris; hinc tollite fumum; *Babio*
Has lacrimas, Viola, tu facis esse michi." *lacrimans.*
¶ Surgite, sancta domus, molæ substernite mulum; *Croceus.*
Pax tibi sit, Babio! teque valere precor!"
¶ O male, pax non est ægro, vale Babioni: *Babio.*
Vix vivo; latis passibus intro necem.—
¶ Hoc pateris, Pecula? rapitur tibi filia; substas? *Babio*
Tu fer Amazonia fortiter arma manu.— *Peculæ.*
¶ Curre, Fodi, pugna, funda stans eminus utar; *Babio*
Cominus hos premite, saxa rotando sequar. *Fodio.*
Sistite, non nisi tres sumus hic; mulier male fortis,
Pene puer Fodius, pene senex Babio."

¶ Quam procul a jaculis convicia sunt Babionis!
Nunc didici facile vulnus habere minas.
Hostes si tales sentisses Troja, maneres;
Nec raperent Danai Tyndaridem Paridi.—
¶ "Jam Violam violat Croceus, ludumque ibi parcit; *Babio*
Abdita jam tractat; pelle nefanda nephas. *secum.*
¶ Vi pateris Viola: sed vis est facta voluntas; *Babio*
Non procul est etiam quodque sit inter eos. *Violæ.*
¶ Quod posui, tulit hic; sevi sata; messuit alter;
Excussi dumos, occupat alter aves.
Vivo carens anima; tulit hanc, detollitur illa:
Miror quod vivo non animatus homo.
¶ Babio sum: non sum; perii dudum, loquitur quis;
Babio, more novo, non ego sum quod ego.
In nil ex nichilo redii; vellem nichil esse;
Esse queror quicquam, nec querar esse nichil.
¶ Fœmina fœminei cordis non desinit esse,
Non cor, at omnis habet fœmina corda duo.
Fœmina quæque vecors, linguam gerit ore bifurcam;
Ex Viola duplici talia disco loqui.
Quis Violæ credet, et quis non crederet illi;
Non credat Croceus, si michi credit, ei.
¶ Ut lumen tenebris sub noctibus obviat atris,
Sic alie Peculam præposuere sibi.
Nec Violam sequitur; hæc fallax, illa fidelis;
Hæc nox, illa dies; hæc rubes, illa rosa.
Hæc lupus, illa bidens; hæc serpens, illa columba;
Hæc levis, illa gravis; hæc dolor, illa decus;
Sentibus in mediis genuit lupus, edidit aspis,
In medio baratri fovit Erinnys eam.
O quam dissimiles! hæc junior, illa senescens;
Trita magisque recens, plusque minusque decens.
Non genus ut genitrix; oleum sic promit amurcam,
Vina luem, tineam tela, latex laticem.
Penelope Pecula non altera, pene sed ipsa;
Ipsa pudicitia, peneque major ea.
Nil peculans Pecula; nil mobile; nil leve sentit;
Pene vir esse potest, fœmina plena viro.
Penelope Petula pietate, pudore Sabina,
Labia munda situ, Marcia fida fide.
Hanc, Babio, recolas, huic fœdera debita solvas,
Totus in hac plaudes amodo fidus ei."
¶ "Plebs, Babio, recitat Fodio Peculam patuisse, *Fama*
Hosque genu quarto connumerasse genus. *veniens ad*
Pristina si memores, si mente moderna volutes, *Babionem.*
A Fodio Fodium res probat esse procul.

Pauper erat Fodius, facie tenuis, pede nudus,
Crine malus, luteus corpore, veste lacer.
¶ Mutatur subito, facie pinguis, pede comptus, *Mutatio*
Crine decens, mundus corpore, veste nitens. *Fodii.*
Splendidus incedit, humeros lana ardua spectat,
Verbis magniloquus, artibus est minimus.
Unde tot huic sumptus? tot symbola? fercula tanta?
Tot merito precio tanta quid esse facit?
Hoc tua sunt, Babio; tua non tibi Pecula servit:
Hoc deservit ei; dona satelles habet.
¶ "Dum sic servit ei, male servitur Babioni; *Babio*
Servitii talis sit maledictus honor. *respondens.*
Prava nimis Viola, Fodius pejora patravit;
Nescio quis pejor, pravus uterque nimis.
Implumes alui, nec de glutire scientes,
Nunc michi sit cuculus illa, sit ille Nero.
Abdita thesauri sic latro remunerat hospes,
Mus peram, gremium vipera, flamma sinum.
Sic trux Œdippus, sic Jupiter invidus egit;
Hic gladio secuit, expulit ille patrem.
Dum concinna michi fatalia fata dedisti,
Desque michi Lachesis police fila truci.
Quæque tuenda michi, nec me loca tuta tuentur;
Dum meus hic hostis, quis michi fidus erit.
O peculans Pecula, Fodius fœdissimus ille;
Sic mea consumunt,—ultor amarus ero.
Judicium sic fit; fur scande, mœcha premetur;
Fur cruce, Mœcha rogis; hic prius, illa sequens.
Mille patet cubitus michi fraxinus, arbor in hortis,
Antra sedent subtus, intro profunda palus.
Fune capud vinctus dabit hic spectacula plebi,
Hic avibus discet pendula præda fore.
Ipse traham sursum; forsan, si traxerit alter,
Fraus erit, et laxo fune perire nequit,
Si funem linquo, quoniam michi non bene fido.
Babio semper eris, virque bovinus erit.
Mitis ero Peculæ; deerit fraus, fure perempto;
Verbere corripiens, hanc superesse sinam.
¶ En moriere Fodi! substa, funem cape collo." *Babio Fodio.*
"Cur moriar?" "Causas ira referre vetat. *Fodius. Babio.*
Siste, trahi patere." "Quo sic trahor." "In cruce pende."
"Causa quid est? debet causa præire necem." *Ba. Fo. Ba.*
"Mœchus es." "Esse nego. Michi da me lege tueri, *Ba. Fo.*
Legem quamque sibi curia nulla vetat."
"Mœchus es in Peculam." "Nichil est." "Vis igne probare?"
"Igne volo, aut aqua, si magis illa placet." *Ba. Fo. Ba. Fo.*

¶ " Clara fides Fodii, non sic meruisse putabat:
Sed non fructificat punica mala salix.
Per terræ planum, per cœli culmina juro,
Juro sacras per aras, non fodit hanc Fodius.
Dextra det inde fidem ; poterit michi sic satis esse."
¶ " Accipe, pande manum ; dextra dat inde fidem. *Fodius*
¶ O Deus arte levi quam magna pericula vici : *Babioni.*
Scit neque bu neque ba Babio lingua bovis. *Fodius.*
Pro lima patinam, Babio, Fodius tibi vendit ;
Non Fodius fodit hanc, fodit eam Fodius.
Terra nec est terra, cœli mons cœlica nescit ;
Est ara porcorum, respicit ara deos.
Fallitur affirmans, sed nescit fallere virtus :
Hoc virtutis erat fallere fure michi.
¶ Ut sibi prævideat, Peculæ loquor. ni mala tanta, *Fodius.*
Expectata minus, pungere dampna solent.
¶ Tanta tuli, Pecula, vix est vixisse remissum ; *Fodius*
Fle, rixare, geme, ne patiaris idem." *Peculæ.*
" Mœcha tibi videor : ita me das pabula famæ ; *Pecula*
Forsitan has et eas, qualis es, esse putas. *Babioni.*
De Viola taceo, ne fœdet numina sterno,
Proh facinus ! meus est ejus uterque parens.
Thais ego videor ; studui magis esse Sabina.
Me similem similis tarde gravare putas.
Aut frenesi premeris, aut te letargus abegit,
Aut furis, aut Lethes infatuaris aquis.
Mens tua zelotipa te non sinit esse quietum ;
Nec spem nec requiem suspiciosus habet.
Fama fide careat, quæ cum vult, atra nitescunt,
Cum volet hæc eadem, Memnona vestit olor."
¶ " Lædem quæso minus, populi loquor illud ab ore, *Babio.*
Mos habet hoc multis, quod placet, esse ratum.
Non falli doleo ; decuit sic fallere famam ;
Non volo non falli, non bene fallor ego.
Ficta ruina mali moneat mala vera caveri,
Palma fuisse michi non erit absque fore.
¶ Est rea res venia, multis dedit ausa malorum, *Babio.*
Ausa dedit Niobæ tardior ora deæ.
Non scelus obturat, ea quæ gemit, hæc sacra jurat ;
Post sacra postque fidem fur scelus audet idem.
¶ Fallere quis nolit, redimens discrimina vitæ ?
Ut vivat, dubitat perdere nemo fidem.
Nulla veretur, amor imperat, horret, obedit ;
Nil impossibile nil grave terror ei.
Non Paridi flammas clades minuere tot enses,
Non patris, aut Trojæ, sive ruina sui.

Quod juvat omne libet, nec abit tibi sacra voluptas,
Stat sibi docta sui semper habere famem.
Rem semel expertos nil exterrebit ab illa;
Quodque magis cupio, copia furta facit.
Quæ modo luna novat, cum cornua plena coibunt;
Arte nova functus criminis ultor ero.—
" Ibo michi Soloen, sit cura, Fodi, tibi rerum. *Babio Fodio.*
Esto vigil, pascit languida cura lupum.
Quando queam redeam." " Nequeas, rogo, mille per annos,
Nil nisi nomen eat, Babio, retro tuum." *Fo. Ba.*
" Hic michi sit requies inter dumeta sub hortis,
Donec in Antipodes sol cadat atque dies:
Tunc michi surgenti sit iter retro nocte sub atra;
Tunc opus est solita calliditate frui."
¶ " Nox fit: abest Babio; cessit prope; mane redibit: *Fo.*
Non fit iners tempus, dummodo cuncta licent.
Nox iter ingeminet, noctem Titana reducat,
Quam dedit Almenæ dum favet illa Jovi."
" Noctis adest medium, sunt summa silentia rebus; *Babio*
Nunc tuti recubant, nunc michi fata favent. *secum.*
Ibo: foramen erit; speculabor; luna juvabit.
En! video loculus non habet ejus eum.
Sunt simul, et quid erit arcanum porto fidelem,
Det Deus ausa michi præstet acumen ei.
Captus erit Fodius; captus non tutus abibit;
Mecum devenient funda petræque simul.
Omen erit, sterruto, semel, negat esse secundo;
Non timeo levia, nam leve pondus habent."
¶ " Quid foris est, Pecula? strepit; audi; naribus efflat;
Numquid adest Babio? non ego fallor, adest. *Fodius*
Tuta cuba; surgam; feret ut parat, et munietur *Peculæ.*
Sordida barba pilis atque cruore latus.—
¶ Quis strepit exterius secus ostia? currite; fur est. *Fodius.*
Strogule, rumpe moras; effugit, olla præi.
Furcifer huc cedes nellus, michi barba relinquit;
Istud, aveto, cape; postera flagra dabunt.
Clava salutet eum, lateri servite flagellis;
Nos turbare volens ut sitit ipse bibat!"
¶ " Ultra quam satis est; Babio sum; parcite." " Non es.
Est Soloen; esse nequit et simul hic et ibi." *Babio.*
" Babio sum: redii." " Cur stas foris?" Hic requievi,
Vos turbare cavens, et male turbor ego."
¶ " Cautus eris nunquam, semper, Babio, sapis æque,
Posset ab ignaris nunc tibi vita rapi. *Fodius Babioni.*
Et nisi cessassem, fieret; sed parcius egi,
Certe quam poteram; non minus acer eram.

Semper cum lacrimis malefacta domum rediere:
Raro fraus nocuit, postera nulla gemens.
Surge; subi thalamum: requiem cape: credulus esto;
Et qua nemo viget suspicione care. *Fodius Babioni.*
Frustra venaris; labor est, sed captio nulla;
Nodus erit cirpi fraus mea facta tibi.
Felle columba caret, et olor nigredine corvi,
Et cirpus nodis, et mea facta dolis."
"Non nocuisse libet, dum non nocuisse licebit; *Babio.*
Res non posse minor, quando licebit erit.
Experiere dolos si stas invitus ad ictus,
Par virtute puto vincere et absque dolo.
Sive sues auro, seu testas cinxeris ostro,
Nec sus sorde caret, nec lue testa luti.
Nec mitis serpens, nec est vulpecula simplex,
Nec Fodium credo posse carere dolo.
Quæ doleo duo sunt, pudor uxoris, mea dampna;
Me doleo plagas, hanc subiisse nephas.
Nunc michi more novo placet ultio, mense peracto,
Nunc volo cum sociis fortis adesse dolis.
Hærent sola metu, sunt agmina tuta viarum,
Victus eram solus, agmine victor ero.
¶ Vado, Fodi, Soloen, rediturus ad orgia Bachi: *Babio*
Esto vigil, sit agri, sit tibi cura domus." *Fodio.*
"Illa quibus redeas tunc fient orgia Bachi, *Fodius.*
Cum clarus fidicen noster asellus erit.
Curent fata domum, dominam curabo tueri;
Dum dees, incultus non erit ejus ager."
"En! veniunt socii, opus est nunc ferre juvamen; *Babio.*
Quid sit amicitia scire necesse facit.
Hic iter, hic latebræ; loca sunt incognita nulli;
Sit locus hic melior quam fuit ille michi.
Ante rui, pressusque fui, labor hinc, dolor inde.
De capto capior, prædoque præda trahor.
Repulit ars artem; foveam fecique tulique;
Dum volo fraudari, corruo fraude peri.
Nunc auster boreæ succedit, et aura procellæ,
Et risus lacrimis, et bona fata malis.
Persequor mœchum, tibi milito casta Diana,
Protege, si qua potes, militis acta tui.
Cede potens cœlo, styge, silvis, ordine trino;
Cede soror solis, filia cede Jovis.
Surgite; ter galli lætum carmen cecinere;
Proxima nos mater Memnonis ire monet.
Jam ludo fessi sompno cubuere repressi,
Fiam Vulcanus, Mars hic, et illa Venus.

Hinc dolor, hinc plausus; plausus michi, sit dolor illi;
  Cum duo de trinis planget adempta sibi.
Hic firmate gradus; cautus moderabor agenda;
  Incertos casus impetus omnis habet.
Intima quæque notas, oculis scrutabor et aure;
  Insidias oculus quas nequit, auris habet."
¶ "Surgo; moror nimis: hic vir adest tuus et plebs;
  Nunc utinam michi sint dolia plena dolis. *Fodius.*
Æger ego morior! utinam Babio rediisset!
  Plus gemo morte mori nulla locutus ei.
Heu! heu! quam fragilis est nostræ gratia vitæ; *Fodius*
  Spuma, sopor, fumus, flos, cinis, aura sumus. *infirmans.*
Nunc stat, et abstat homo; flat et efflat; floret et aret;
  Incipit et teritur; sunt ea pene simul.
Febre premor nimia Babio cum cessit aborta,
  Ex tunc absque modo me tenet iste locus."
"Ite domum tuti; subit ultima, nil nisi mors est; *Babio*
  Venimus ad feretrum; vicimus; ite domum." *ad socios.*
"Est bonus iste dolus; evasi; fallitur hostis;
  Hypocrisim dolus hic religionis habet."
"Sum felix; dives non rex ita, non ita cives; *Babió*
  Quem lue plus odi, cui moriere, Fodi. *de Fodio.*
Decadis, ascendi; premeris, de morte revixi;
  Dum raperis, redii; crux tua palma michi.
Quod volo, nunc video; contra spem sumo quod opto.
  Amplector quod amor; quod cupio teneo.
Nunc risum flebis; tenebras, tenebrose, forebis;
  In patria Lethes nunc, prave, fata metes.
Vel Tityi volucrem, vel ages Ixionis orbem,
  Vel sub aquis sitiens Tantalus esse feres.
Babio, nunc intres; sunt omnia tuta deinceps;
  Quicquid ages fas est, insidiator abest.
Surge, soror, Fodio sudaria fac morienti;
  Surge, morare nichil; Fodius efflat, abest."
¶ "Prestolare, precor; nam tam cito tam prope non est;
  Verbum quod nolles eloquar ante tibi. *Fodius Babioni.*
Post te concludam, dabit entimema sophisma;
  Et quod non falles, tale sophisma feret." [hic est."
¶ "Surge, quis es?" "Babio." "Quis Babio?" "Vir tuus
  "Quis meus? hic fur est; perdor: adesto, Fodi. *Hic*
Et quis hic est fur est." "Babio sum." "Babio non es. *alter-*
  Mœchus es, et ferro pendula membra dabis." *catio inter*
"Desine: sum Babio." "Non: desunt orgia Bachi; *Fodium*
  Tunc Babio rediet. Mœchus es; ausa lues." *et Babi-*
"Lumine fac videas." "Non est opus addere lumen. *onem.*
  Id scio corde tenus, Babio nullus adest.

Nunc eris eclipsis, non ludes amodo servis;
Symbola sola dabis, nolo nocere magis."
"Væ michi! nunc morior!" "Fur est; accendite lumen.
Proh dolor! est Babio. Stulte vir, unde venis? *Fodius.*
Quando miser sapies? nec erit citharœdus asellus,
Nec bos docta loquens, nec Babio sapiens.
Fortunatus eras quod te non læsimus ultra."
¶ "Ultra quis lædat; est minus ista queri." *Babio.*
"Tantula dampna gemis? medicus sum doctus in arte;
Sanatum leviter tam leve vulnus erit." *Fodius.*
¶ "Est leve quæque loqui; sed non hac lege probatur,
Non sapit incolumes triste quod æger habet. *Babio.*
O rea res meretrix! res rerum pessima leno!
Non est qui careat unus in orbe dolo.
Tam mala nulla mala; quam copia nulla malorum;
Angue diu socio nemo pericla cavet.
¶ Prædo michi conjunx; lictor meus et michi servus;
Hæc labor, ille dolor; hæc lupus, ille leo.
Hæc tenet, ille ligat; hæc eicit, ille coartat;
Hæc premit, ille ferit; hæc necat, ille terit.
Currus et auriga michi nunc sint ad loca sancta,
Facta priora volo claudere fine bono."
"Tam cito nos linques?" "Doleo vos sero relinqui,
Nam modo malo fugam, quam magis arcta pati.
¶ Fle, domus et Pecula; monachus fit Babio; flete."
"Donec eum revocem non rediturus eat! *Pecula.*
O frater Babio! quantum michi flendus abibis;
Hos fletus faciunt gaudia magna michi."
"Ecce, Fodi, Peculam tibi do, non utere votis; *Babio*
Experto crede, nostraque fata time. *Fodio.*
Croceus et Viola valeant! et vos valeatis!
Felices ævo, germine, divitiis.
Babio testis adest, hæc ultima verba teneto:
Sunt incredibiles, uxor, alumpna, cliens."

Explicit Comœdia Babionis.

VITALIS BLESENIS GETA.

VITALIS BLESENIS GETA.

Græcorum studia nimiumque diuque secutus
  Amphitryon aberat, et sibi Geta comes.
Intrat ad Almenam ficto Saturnius ore,
  Cui comes Arcas erat. Credidit esse virum.
Geta redit tandem, præmissus ab Amphitryone:
  Arcadis ille dolis se putat esse nichil.
Se dolet esse nichil, et ab Arcade lusus abibat;
  Visa refert domino; vir dolet; arma parant.
Lætus abit socio pater Arcade; quæritur ille;
  Mœchus abest, gaudent; lis cadit, ira tepet.

¶ Carmina composuit, voluitque placere poeta;
  Fallitur hoc studio; carmina nulla placent.
Carmina nulla placent, quæruntur seria cunctis;
  Quemlibet immodicus alligat æris amor.
Vincit amor census, et nummis carmina cedunt,
  Multa licet sapias, re sine nullus eris.
Si quem scripta juvant, scriptis tamen invidet ille,
  Et laudans veteres nescit habere novos.
Utilius tacuisse foret, quam scribere versus;
  Scriptor enim pretio, scriptaque laude carent.
Quem juvat iste labor, soli sibi scriptitet ille;
  Et sibi pulcher erit, et sua solus amet.
¶ Ardet in Almenam Saturnius, atque beatum
  Amphitryona probans, se dolet esse Jovem.
"Et quid," ait, "cœtus superum Jove patre superbit?
  Nam superum pater est Amphitryone minor."
Exieratque pater; caducifer obvius ibat
  Nuncius; "optato," Jupiter inquit, "ades.—
Uror in Almenam, nec eam tamen uro, sed utar
  Tempore, sponsus abest, utar et ipse loco.
Jupiter Almenæ studeat thalamo, vir Athenis
  Philosophetur; amet Jupiter, ille legat.
Disputet Amphitryon et fallat Jupiter; artes
  Hic colat, Almenam Jupiter ipse suam.

Jam parat et reditus, ergo prior indue Geta,
  Induet ipse tuus Amphitryona pater."
Sustinuere dei mortales sumere vultus;
  Fit pater Amphitryon, Getaque natus erat.
¶ Nunciat Almenæ variis rumoribus acta
  Fama viri reditum, famaque juvit eam.
Ad reditum domini domus exultare jubetur;
  Atria vestit ebur, purpura lata toros.
Arridet thalamus positoque refulgerat auro,
  Absentis surgunt Amphitryonis opes.
Gaudia testatur dominæ nitor, atque superba
  Significat domui veste redire virum.
Arte jacent crines, auro quoque dextra superbit,
  Pingit et hæc vultus, vivit in arte decor.
Sic alias vincit, sic a se vincitur ipsa:
  Fit nova plusque decens, plus placet ergo Jovi.
¶ "Nunc age, nate, veni;" clamat Saturnius, "ecce
  Quanta sit Almena, quam bona, quamque decens!
Quam melior Junone mea; mea sidera vincit:
  Præradiat stellis, obtenebratque diem.
Sic placet illa michi: sic exeat obvia nobis,
  Inque suo subeat Amphitryone Jovem."
Deseritur cœlum; vernali mitis odore
  Respiravit humus, sensit adesse deum.
¶ Gaudeat Almena: vir adest suus; ecce recurrens
  Ingeminat fama, jurat adesse rates.
"Ecce meus redit Amphitryon; cito, Birria, surge;"
  Dixerat Almena; clamat: at ille tacet.
¶ Birria sic secum: "clamet licet illa, taceto:
  Hæc vigilet, dormi; cursitet illa, jace.
Hos habeat ludus, labor hos, te, Birria, sompnus;
  Quicquid agant alii, sit labor iste tuus."
¶ Sic iterum Almena; "propera michi, Birria, surge."
  Nil valuere preces; addidit ergo minas.
Paruit ille minis; cui sic hera, "litus adito,
  Vela nota, naves prospice, visa refer.
Vera ne sit, sed vera utinam, nec falsa sit oro
  Fama, redire probans Amphitryona meum.
¶ Sic hera. Sic servus: "ha! Birria, quanta juberis,
  Audaces etiam terruit unda maris.
Litore dum stabo, refugis ne fluctibus unda
  Me ferat in præceps, ipse cavebo michi.
Birria, tunc ires nulli plorandus in æquor;
  Quid tunc Amphitryon? Birria nullus erat.
Væ pedibus laterique meo! gravis est via, longum
  Est iter ad naves, non rediturus eo.

Seu redeam, seu non, Almena audito, redibit
Amphitryon noster, si rediturus erit."
Congeminans irata minas, eat, imperat: "ibo,"
Inquit, "at ut redeam quæso precare deos."
Hic abit, hæc orat: "Assis, bone Jupiter," inquit.
Cui Getam simulans intulit Arcas, "adest."
Intrat hic in Getam, subit alter in Amphitryonem;
"Salva sit Almena!" Jupiter inquit ovans.
"Salvus et Amphitryon!" Almena subintulit, ergo.
Oscula multiplicant, dant iterantque data.
Temperat Almena, castigat et oscula blande,
Et sua virgineo verba pudore domat.
Luxuriat deus, ore premens os lambit hiulco,
Et mœchum sapiunt oscula, verba Jovem.
Impendet collo Jovis illa premitque beato
Pondere colla dei: sic amat ille premi.
"Non equidem mage læta Jovem complecterer ipsum."—
Dixerat, atque Jovem comparat illa Jovi.
Oscula confundunt: jam Jupiter acrius ardet;
"Claude fores, Geta," dixit, "et obde seram.
Nautæ si veniant, hominum genus arte repellas;
Nemo fores subeat: janua limen amet.
Nos habeat thalamus secretior." Annuit Arcas.
Hos recipit thalamus; obserat ille fores.
Ipsa loci facies invitat ad oscula quemque;
Jam mora nulla placet, jungit utrumque torus.
¶ Birria carpit iter, lento pede claudus; iniquas
Atque graves queritur asperitate vias.
Imputat ille viæ, quod sit piger: "heu michi!" dixit,
"Auferet ecce meos hæc via dura pedes.
Ad mala natus ego crucior, dum cuncta quiescunt;
Væ tibi! femineo quisquis adacte jugo!
Femina vult sudare suos didicitque jubere;
Pœna tenet famulos, innovat illa cutem.
Mœchus ut introeat, mentitur adesse maritum;
Ne videas mœchos, Birria, pulsus abis.
Jam redeo, quæram quid agat, deprensa timebit,
Supprimet illa (timens verbera) verba, minas."
Sic ait, atque redit; dubitat, deliberat, hæret.
Sic iterum secum: "non sapienter ago.
Crimina dant animos, odium deprensa fovebit:
Birria, quicquid agat, semper iniquus erit.
Credulus uxori vir erit; mala femina; ficto
Crimine dampnabor; sic cruce visa luam."
Impositum repetatur iter: "labor instat, eundum
Est michi, secretam, Birria, perge viam.

Hac iter, hac ito, ne Geta sit obvius ille,
Qui mea letifero pondere colla domet.
Geta precor pereat, homo natus pondera ferre;
Pondera portet equus, Birria vivat homo."
¶ Intrarat portus, ventis ereptus et undis,
Amphitryon, lætus litora nota terens.
Regnat amor castus in pectore conjugis illi.
Geta vocatus adest; et cito dixit ei,—
"Tolle libros, præcurre domum, salvere jubeto
Almenam, reditu gaudeat illa meo.
Pars est salva mei, salvetur et altera quæso,
Pendet ab illius nostra salute salus."
¶ Geta favet, tollitque libros, prænuntius ibat;
Birria carpit iter, Geta videtur ei.
"Heu! Geta est," inquit; "perii! quodcunque verebar
Accidit; heu! quantum, quam bene portat onus!
Pondere sub tanto sudaret maximus Atlas:
Hoc humeris nostris impositurus erit.
¶ Ecce caverna subest: lateam dum transeat ille;
Post iter aggrediar." Dixerat, atque latet.
¶ Providet hunc Geta, qui longe noverat illum;
Quo lateat, notat hic, dissimulatque tamen.
Substitit ad caveam; furca subeunte bicorni
Dum sustentat onus, sic ait ille sibi:
"Væ scapulis humerisque meis! væ pondere presso!
Colla fatigat onus, et via longa pedes.
Sed quid in occursum non exit Birria Getæ?
Penderet collo sarcina nostra suo.
Fasce sub hoc caderet jam Birria." Birria secum:
"Profuerat multum sic latuisse tibi."
Continuat Geta: "Væ! væ michi!" dixit, "Athenis
Dicere longa mora est quæ mala quotve tuli.
Me frigus, me longa fames, sitis aspera, sompni
Nocte breves, miseri perdomuere cibi.
Non primo vivebat herus, sed pane secundo;
Qui me pascebat vix quoque quartus erat.
Sed pretium pœnæ miranda sophismata porto,
Jamque probare scio quod sit asellus homo.
Dum michi me reddent patinæ, focus, uncta popina,
Hos asinos, illos esse probabo boves,
Sum logicus, faciam quævis animalia cunctos;
Birria, qui nimis est lentus, asellus erit."
Birria sic secum: "Quid? Birria fiet asellus?
Quod natura dedit, auferet iste michi?"
Birria sic Getæ: "quæcunque problemata solves,
Respondebis, erit Birria semper homo."

¶ [G.] "Hoc etiam didici, quod res nequit ulla perire:
Quod semel est aliquid, hoc nequit esse nichil.
Cui semel esse datur, nunquam non esse licebit;
Sed faciem mutat, et novat esse suum.
Sic nequeo non esse." Sibi tunc Birria: "Geta
Vivet in æternum, si modo vera refert!"
¶ [G.] "Omnia mors tollit; doctum cecidisse Platonem,
Atque ipsum Socratem subcubuisse ferunt.
Fama mei vivet, sed et hoc quoque morte peribit.
Omnia mors delet, omnia morte cadunt."
[B.] "Dissidet iste sibi; modo fine carere probabat
Omnia; cuncta modo morte perire dolet."
[G.] "Ibo: sed hei! quid in hoc strepit et submurmurat antro?
En lepus est! hercle, præda decora viro!
Utar ego saxis, quia non michi retia præsto;
Furcula pro reti, sint vice saxa canum.
Exeat aut lateat, saxis mea præda peribit,
Ditabit mensam præda reperta meam."
¶ [B.] "Væ michi! quid latui? mortem vitare volebam,
Jam moriar: volui vivere, vita fugit.
Ha! volui tutus nimis esse: perenne latebo,
Et fiet tumulus ista caverna michi.
Væ! quia non tacui, nunc, a me proditus ipso,
Ne moriar timeo, qui bene tutus eram."
Geta premit saxis, inculcat et ictibus ictus,
Et veniam timida Birria voce rogat.
"Birria sum, mi Geta, precor michi parcito, amicum
Nulla viro laus est sic lapidare suum.
Geta, teneto manus: tuus est hic Birria." "Non es
Birria," Geta refert. Jurat hic, ille negat.
Instat hic; hic clamat: "non mentior, hercule! notus
Sum tibi, me sola noscere voce potes.
Birria sum, mi Geta, tuus; tua saxa repone,
Vivat ut obsequio Birria, Geta, tuo."
"Ergo capud profer." "Jam profero, saxa repone,
Ne capud hoc pereat per tua saxa meum."
Cessat hic, hic exit! Cui Geta: "quid ergo latebas?
Posset ab incauto mors tibi sæva dari."
[B.] "Quis dedit hoc Getæ lapidare latentia quæque?
Luna latet cum vult, Birria quando potest."
¶ [G.] "I citus ad naves, et quæ modo pondera restant
Tolle, manent humeros pondera magna tuos.
Vel mea, si mavis, hæc pondera tantula ferre."—
[B.] "Tantula! quis tanta pondera ferre queat?"
[G.] "O quanto majora feres! quo fasce premeris!"
Et fascem ostendens, "hoc leve pondus," ait.

¶ Cum leve vel nullum pondus te ferre queraris,
Cur ea non defers viribus apta tuis?
¶ Dixerat Amphitryon michi maxima ferre volenti,
'Accipies pondus hoc leve, Geta, tibi,'
¶ Birria magna ferat, quem reddunt otia fortem;
Nam fortes humeros grande decebit onus."
[B.] "Birria cogetur montes transferre." [G.] "Teneto
Ergo meum." [B.] "Quod fers tu tibi pondus habe.
Si nequeo vitare, valet differre laborem."
Discedunt; litus hic petit, ille domum.
Geta domum properat, gaudet loca nota videre;
Gaudia dinumerans sic breve reddit iter.
"Gaude, Geta, tui jam præteriere labores;
Otia jam redeunt, jam tibi parta quies.
Assurgent Getæ venienti Santia, Sanga,
Davus, et applaudet cetera turba comes.
Accrescet nomen michi, dicar Geta magister;
Terrebit cunctos nominis umbra mei.
Magnus et in tota venerabilis ipse popina,
Jam liber servos magna docebo meos.
Sed quid in occursum non est Almena? quid autem
Janua clausa michi est, et silet ipsa domus?
Ad primam vocem pandetur janua Getæ,
Vel minimo digito jam reserabo fores.
Multa fero quibus ipsa placet sibi femina; peplum
Mittitur Almenæ, zona, monile, chlamys.
Cultu forma nitet, hac femina dote superbit;
Hac placet ipsa viro, plus tamen ipsa sibi."
Accedit, pulsatque fores, clausæque quiescunt.
Obstupet ille, domus atria voce replet.
"Exeat Almena, pandatur janua Getæ,
Exeat, et videat Amphitryona suum."
¶ Arcas adest foribus, Getam mentitur, eratque
Persimilis Getæ corpore, voce magis.
"Jam thalamum tenet Amphitryon, tenet ostia Geta;
Quisquis es," inquit, "abi." Dixerat; ille stupet.
Terruerat Getam simulata probatio vocis;
Astitit a foribus, et sibi mœstus ait:
"Qui loquitur mecum voce est et corpore Geta;
Voce loqui Getæ quis nisi Geta potest?
Sed logici memorant, quod vox est una duorum,
Atque duos nomen significabit idem."
Dixerat atque domum circumspicit undique clausam;
Omnia clausa videt, cunctaque clausa silent.
Admirans stetit ante fores, et "quisquis es," inquit,
"Pande fores, reseres ostia, Geta redit."

¶ "Jam rediit Geta," deus intulit, "Amphitryonque
In thalamo gaudet conjugis esse suæ.
Birria jam rediit, quem dum latitaret in antro,
Terruerantque minæ saxaque missa manu.
Supprime clamorem, sine jam requiescere fessos,
Fessis post onera fit mage grata quies."
Geta suum nomen novit, nec clausa recludit,
Ad nomen Getæ janua clausa silet.
Obstupuit, retroque pedem tulit, "heu michi!" dicens,
"Hunc verum Getam factaque voxque probant.
Numquid aberravi? numquid modo Birria missus
Aut citius rediit; vel breviore via?
Est ego qui mecum loquitur; sed nescio fiat
Qua ratione duo, qui prius unus erat.
Omne quod est, unum est; sed non sum qui loquor unus;
Ergo nichil Geta est, nec nichil esse potest.
Unus eram, clausa cum primum ad limina voce
Intonui, sed me reddidit ille michi.
Respondine michi? vocemne per eccho relatam,
Ut solet in silvis, reddidit illa domus?
Janua me dudum reserato cardine cepit?
Quid loquor? ut subeam, proh furor! intus ego.
Accedam, quæram, quo sit pede, dente, capillo;
An sicud voce, corpore sic sit ego.
Quæram de factis, de moribus, est metuendum
Non leve ne Geta sit duo, sitve nichil."
Instat, et ut frangat illata repagula posti
Concutit irata limina clausa manu.
Clamat, "ades, qui voce refers et corpore Getam,
Postibus oppositas queso repelle seras.
Ut videam, non ut subeam, fore semireclusa,
Æmula si tibi sint vultibus ora meis.
¶ "Non sic," Arcas ait," non est leve fallere Getam
Cuilibet, intrare vi nequis, arte paras."
Hic rogat, ille negat; hic instat, at ille repellit;
Viribus utuntur, fortior Arcas adest.
Jurgia commiscent, postique adnixus inanes
Fundit in oppositum tristis uterque minas.
Clamat Geta, "Seram posti ni dempseris ultro,
Pessime, jam vires noveris, hercle, meas.
Deme seram posti, scelus improbe! ni cito pandas,
Protinus opposito janua fuste cadet.
Turpe michi cumulare preces, qui cogere possum.
Quid facis, Almena? surge, reclude domum.
¶ Turpe fit uxori non occursare marito;
Vir redit ecce tuus, limina Geta tenet.

En tuus Amphitryon; jubeas cito clausa recludi;
Introitum Getæ furcifer iste negat."
[A.] ¶ "Exagitent male me superi, si turpe quid audes;
Tu sapies, Geta quid queat," Arcas ait.
[G.] "Janua fuste cadet." [A.] "Ergo cadet et tua cervix;
Effuge, terribili rudere voce sinas.
Mene putas terrere minis? injuria portæ
Facta redundabit in capud, hercle, tuum."
Geta timet, ponitque minas; ope Geta minandi
Lusus, ad assuetas confugit inde preces.
"Dic," ait, "oro, tui quis sit color et modus oris,
Et membris proprias omnibus adde notas.
Singula percurre, quia multum scire laboro,
Quisquam præter me si fore possit ego."
Arcas ait contra: "dicam, modo namque precaris,
Non tumidis verbis, sed prece vincor ego.
Principio ut sapias, Getam te credere noli,
Nec puto quod credas, sed cito crede michi.
Non alium Getam, nisi me, modo Græcia novit:
Fallere me quæris nomine nempe meo.
Solus ego Geta; nunc accipe, quis color et quæ
Forma michi, quæ sint singula membra michi.
¶ Totus inaudita fœdaque nigredine dampnor,
Atque color membris omnibus unus inest.
Dum velud Æthiopes, aut quales India mittit,
Æterna scabie scinditur atra cutis.
Hirsutum capud est, et cinctum crine caprino,
Frons brevis et naris longa, rubent oculi.
Menta genasque tegit et obumbrat silva pilorum,
Collaque longa michi sunt humerique breves.
Sic tumeo ventre, quod dicor hydropicus esse,
Atque meus stomachus nescit habere modum;
Zonaque nulla potest hunc castigare tumorem,
Cum pane absorptis dum tumet alvus aquis.
Deest spatium lateri, deest renibus; hispida crura
Sunt michi, quæ scabies ut sua regna tenet.
Sed michi quæ crebro singultu colligit iram,
Ad curtum mentum tenditur usque genu.
Tibia curta michi, sed grossa, pedesque recurvi,
Ut pedibus solea nulla sit apta meis.
Cuique sat est me nosse semel, Getamque videntes
Fastidit, nec eos me repetisse juvat."
¶ Miratur Geta, qualis sit; spectat et audit;
Singula perspiciens, taliter esse videt.
"Dic, age, quo pacto, quibus artibus Amphitryonem
Fallis, ut et factis sis ego, simque nichil."

¶ "Furta dolosque meos audi," Caducifer inquit,
"Ut jures Getam me fore, teque nichil.
Et quamvis turpis Geta, qua gaudet amari,
Scire velis causam; turpis et illa quidem,
Causa subest: mœchor; nunquam placata priapo
Semper inest rabies et modus absque modo.
Ut verum fatear, non Geta, sed inguen amatur;
Si qua meos vultus non amat, inguen amat;
Quas hostes vultus, inguen michi reddit amicas:
Sic ut totus amer pars facit una mei.
Fallo senem, minuo commissa, recondita furor,
Furtivisque opibus Thaida pasco meam.
Nulla manus Getæ tenuit sera, dissipo quæque
Prodigus et larga non mea dono manu.
Lenio muneribus quam vultu terreo turpi;
Si dare multa potes, quicquid avebis habes.
Accipe nunc iterum quæ gessi nuper Athenis,
Ut fore me Getam per mea facta probes.
Amphitryona scholæ, Getam sua Thais habebat:
Dum muto patriam, Thaida quæro novam;
Thaidas exquiro, quarum bona copia Getæ:
Vinco muneribus, munere vincit amor.
Dumque sopore gravatur herus, castigo crumenam,
Et minuo numerum, sic tumet illa minus.
Sæpe crucem merui, merui persæpe catenas;
Aspera sæpe tuli verbera, sæpe minas.
Nuper ego (sed ades, ne forte quis audiat illud)
Incolumi cista bina talenta tuli.
Clavis adulterio feci mea furta latere;
Est leve deliros fallere posse senes.
Si mea me fallit fraus, et deprendor in actu,
Nota nego, testor numina, juro deos.
Non dubito superos testes adducere falsos:
Nil audet magnum, qui putat esse deos."
"Jam satis est, Geta es," respondet Geta, stupetque,
Dicta recognoscit, et fore nota dolct.
"Sis ego," respondit, "ego sum nichil," atque recedit,
Quaque via lætus venerat ante, redit.
¶ Solus abit, secum queritur: "væ! væ michi!" dixit,
"Væ michi! qui fueram, quomodo fio nichil?
Geta, quid esse potes? es homo; non, hercule; namque
Si quis homo Geta, quis nisi Geta foret?
Sum Plato? me forsan artes fecere Platonem;
Geta quidem non sum, Getaque dicor ego.
Si non sum Geta, nec debeo Geta vocari;
Geta vocabar ego; quod michi nomen erit.

Nomen erit nullum, quia sum nichil.—Hei michi! nil sum?
Jam loquor et videor, tangor et ipse manu."
Seque manu tangens, sic intulit: "Hercule, tangor;
Quodque valet tangi non erit, hercle, nichil.
Est aliquid quodcunque fuit, nec desinet esse;
Est etiam semper, cui datur esse semel.
Sic sum, sic non sum; pereat dialectica, per quam
Sic perii penitus; nunc scio, scire nocet.
Cum didicit Geta logicam, tunc desinit esse:
Quæque boves alios, me facit esse nichil.
Sic in me gravius experta sophismata, mutans
Tantum alios, michimet abstulit esse meum.
Væ logicis! si sic est omnibus: heus! redit ecce
Amphitryon, miror an sit et ipse nichil.
Et venit et nichil est; poteritne quod est nichil ire?
Hercule, cuncta suas deseruere vias.
Reddidit insanum de me dialectica stulto:
Geta sit an non sit, Geta probare potest.
Sum, si me salvere jubet sub nomine Getæ;
Si taceat, perii." Dixerat, atque silet.
¶ Amphitryon relegebat iter; sequitur præeuntem
Vix quoque sub nimio Birria fasce gemens.
Dum videt hic Getam, "proh! maxime Jupiter!" inquit,
"Quid sibi vult Geta? qua ratione redit?
Significat dampnum Getæ citus iste recursus,
Fac, bona Juno, precor, nunciet ille bona.
Ne mortem nati, vel casum conjugis ægræ
Afferat hic vereor; ora dolentis habet.
Turbor in aspectu:—date, numina, ne sine prole
Dicar, et in magna parte perisse mei.
¶ Quid taceo? quæram." Sic dixit, et occupat illum:
"Dic age, dic, Geta, quid mea cura facit?
Stamus, an occidimus? periine in conjuge fida?
An vivit quod amo?"—Geta rogatus ait:
"Hercule! sum Geta, quia Getam me vocat ille;
Quod non est aliquid, nomen habere nequit."
Hæc secum tacitus. Adjecit protinus, "Hercle!
Nuntio mira: diu est quod sumus ambo domi.
Hercule! non sumus hic, rediit jam Birria, jamque
Amphitryon thalamos, ostia Geta tenet.
Vera quidem, vera nimium loquor: ast ego felix!
Si quæcunque loquax, omnia falsa forent.
Si sis Amphitryon, a te præmissus abibam;
Inveni rigidis ostia clausa seris.
Insisto foribus, me Geta recedere jussit,
Amphitryona probans jam rediisse domum.

Me michi descripsit, mea facta recensuit ille;
Quodque foret Geta, multa dedere fidem."
¶ Birria subridens: "accepit Græcia sanos
Hos," ait, "insanos illa remisit eos.
Insanire facit stultum dialectica quemvis,
Ars ea sit nunquam, Birria, nota tibi.
Arte carere bonum est, quæ per fantasmata quædam
Aut homines asinos aut nichil esse facit.
Sit logicus quivis, tu, Birria, sis homo semper:
His studium placeat, uncta popina tibi."
¶ Geta relata refert, et vix sibi credulus ipse
Miratur; movit Amphitryona dolor.
"Falleris," inquit ei, "qui te nichil esse vereris:
Mœchus habet thalamos, cui bene notus eras.
Adsint arma michi; gladio præcingere, Geta;
Birria, tela cape; vos lucra magna manent.
Quos nichil esse probat, aliquid jam sentiet esse."
Jussis Geta favet, et capit arma prior.
Arma parant ambo: movet hunc injuria lecti;
Hic parat, ut gladio se neget esse nichil.
Birria dissimulat; "satis hæc," ait, "hercule noram;
Cum petii naves, intus adulter erat.
Hinc mittebar ego; nullus te, Birria, fallit;
Hos agit insanos ad sua dampna furor.
Hi sua bella gerant; nichil est ad prœlia tutum:
Si potero, nunquam Birria marte cadet."
Increpat, instat herus, clamans, "cape tela, præito."
"Hoc me tardat onus; vos sequar," inquit, "ego."
"Proicito potius, cadet ut deprensus adulter."
"Proiciam? dampnis addere dampna nocet.
Non sumus, hercle! pares; plures sunt forsitan intus;
Nec sine vi magna captus adulter erit.
Arma ferunt mœchi; vos subsequar, ite priores,
Ad bellum vires cominus ensis habet.
Eminus absistam, quia funda saxa rotabo;
Improvisa magis vulnera sæpe nocent."
¶ Tela manu vibrant, abeunt, et multa minantur,
Inque Jovem auxilium quærit uterque Jovis.
¶ Birria ridet eos; "unde hæc audacia?" dixit;
"Quis furor? o utinam nosset adulter eos!
O faciles dare terga viri! si Græcia tales
Misisset quondam, nunc quoque Troja foret.
Birria, si sapias, fugias prior, ultimus instes;
Nil poterit justa tutius esse fuga."
¶ Jam minus ardebat lenito Jupiter igne;
Oscula jungebat jam moderata magis;

"Me vocat officium; naves in litore linqui
Incustoditas; Geta paretur iter!"
Dixerat; Arcas adest, gaudetque suo Jove cœlum;
Ridet terra minus; sentit abesse deos.
Stabat inornata positoque Almena decore,
Ut quæ jam placuit; ostia quæque patent.
Amphitryon armatus adest; expavit ad arma
Femina, et assurgit territa sponsa viro.
"Et quid opus gladio? non arma, sed oscula sume,"
Inquit, "non fueram sic adeunda tibi."
Lenia verba placent; armatus ad oscula venit,
Jamque manu mucro labitur, ira tepet.
Geta subit, reserata modo stupet ostia; mœchum
Quærit ut inveniat, et reperire timet.
Et quia mœchus abest, fit Geta audacior inde;
Exit, et in tumidas nil metuendo minas:
¶ "Amphitryon, quo mœchus abit? satis oscula sumes;
Mœchus ubi est, gladio jam cadet ille meo.
¶ Dicat et Almena, cur ostia clausa negabant
Introitum Getæ." Risit, et ista refert:
"Ostia servabas, et per te clausa patebant,
Et mox ad nutus clausa fuere tuos:
Amphitryona meum thalamis amplexa fovebam."
Hæc ad verba dolor Amphitryona movet.
Oscula rumpuntur; succedunt verbera paci;
Quas modo lambebat, nunc secat ungue genas.
"Hei michi! clamabat, recto modo calle venimus,
Hercule! mœchus erat." "Non erat," illa refert.
"Vos equidem vidi, vel vos vidisse videbar;
Luserunt animos sompnia sæpe meos."
¶ "Sompnia sunt, hercle!" subjecit Birria; "Geta
Insanit, factus stultior arte sua.
Jurgia sint insana procul! succedo coquinæ;
Gaudeat Amphitryon, Getaque fiat homo."
Lætatur sponsa Amphitryon, nidore culinæ
Birria, Geta hominem se fore; quæque placent.

Luditur Amphitryon et sua tota domus.

Explicit Geta.

ANONYMI PETROBURGENSIS

(UT FERTUR)

DESCRIPTIO NORFOLCIENSIUM:

ET

JOANNIS DE SANCTO OMERO

EJUSDEM DESCRIPTIONIS IMPUGNATIO.

ANONYMI PETROBURGENSIS

DESCRIPTIO NORFOLCIENSIUM.

Exiit edictum quondam a Cæsare,
Qui mittens nuncios jussit describere
Omnes provincias, atque summopere
Quæ bonæ fuerint, quæ non, inquirere.
Egressi nuncii mundum perambulant,
Omnes provincias scrutantes penetrant,
Post hæc ad propria redire properant,
Et coram Cæsare tandem pervenerant.
Quidam de nunciis stans dixit talia:
Audi me, domine, transivi maria,
Terrarum omnium lustravi spacia,
Sed tam detestabilis non est provincia,
Ut verum fateor, sicut Norfokia.
Est terra sterilis, et gens vilissima,
Plena versutiis, fallax et invida,
Et nationibus cunctis contraria;
Hoc ejus indicant mores et opera.
Quod terra mala sit patet ad oculum,
In qua si seminas electum triticum,
Metes zizania, aut certe lolium;
Hæc duo retinent ibi dominium.
Credo quod Sathanas, cum primo corruit,
Terram Norfokiæ cadendo polluit,
Et bonis omnibus eam destituit,
Nam semper postea frumento caruit.
Panem de lolio rodunt et ruminant,
Spicam frumenti pro dæmone reputant,
Quam si percipere per campos valeant,
Illam diabolum esse denunciant.
Spicam circumeunt statim cum fustibus,
Et sic grandisonis exclamant vocibus,
"Fuge, diabole, fuge quam citius,
In nostra segete non stabis amplius."

Pater cum puero ad forum adeat,
Et puer parvulus libum respiciat;
"Dic, pater, hoc quid est?" puer interrogat.
"Tace, non indiges, Deus prohibeat!
Infirmis cibus est, nil sanos adjuvat."
In villis quatuor si sex vel amplius
Sint viri nobiles, qui forte sæpius
Appellant hospites; hiis ne triticeus
Panis deficiat, agunt subtilius.
Cunctorum sumptibus hi jubent emere
Album de tritico panem, et ponere
Hunc sub custodia, quorum cum pascere
Debet quis hospites, pro pane mittere
Constanter precipet, sed panem frangere
Non audet aliquis. Servatur integre
Donec incipiat totum putrescere;
Tunc omnes insimul debent hunc edere,
Et *rodswein* panem hunc vocant Anglice.
Hinc bene sequitur quod gens sit pessima;
Nam fructus optimos arbor nequissima
Nequit producere, nec mala patria
Benignos homines, ergo Norfokia
Producit impios, est enim impia.
[Erat Norfolchiæ vir quidam strenuus,
Qui suos rusticos gravabat anxius,
Nummos et pecora sumebat sæpius,
Eosque deprimens pravis operibus.
Oppressi rustici tanto gravamine,
Tale consilium ineunt propere,
Ut darent militi summam pecuniæ
Ut possent amplius tenere libere.
Miles continuo, placatus munere,
Ut assent liberi jussit conficere
Cartam, et cartulæ jussit apponere
De cera viridi sigillum nobile.
Mox facti liberi tabernam adeunt,
Et ventres vacuos fæce reficiunt,
Donec nox venerat bibunt et rebibunt;
Candelam emere postea percipiunt,
Sed proculdubio nullam inveniunt.
Quidam præ ceteris plenus industria
Mox vocem elevat, et dicit talia:
"Pendet ad cartulam cera pulcherima,
Qua potest fieri candela nimia;
Nil nobis proficit cera, sed schedula;
Si ceram subtrahas, non fallit littera."

Respondent cæteri mox voce publica,
"Ex magna provenit hæc providentia."
"Bonum hic," inquiunt, "donat consilium."
Sigillum faciunt lumen egregium.
Hæc miles audiens, lætatur nimium,
Eosque revocat ad gradum pristinum.
Conantur rustici huic contradicere,
Et dicunt domino, "tenemus libere;
Nullum servitium potes exigere;
Hoc bene possumus per cartam promere."
Et jussit dominus cartam ostendere,
"Ut quid non opus est, nam scis peroptime
Quod nobis cartulam jussisti facere,
Ut simus liberi ab omni opere."
Tandem oportuit monstrare cartulam,
Stetitque rusticus, qui vocem primulam
Habens præ ceteris, et clausam cartulam
In manu tenuit, monstrando scedulam,
"Hanc," inquit, "cartulam debes agnoscere,
Quam ore proprio jussisti scribere."
Hoc totum dominus cæpit renuere,
Dicens, "Da clerico, legatur propere."
Sed noluit rusticus caudam dimittere.
Quidam de famulis, astans a latere,
De manu rustici cæpit abstrahere
Cartam, et caruit sigilli robore.
Discreti judices hoc statim judicant
Ut semper sint rustici ut ante fuerant;
Et quia domino se sic subtraxerant,
Clausi sunt carcere donec reddiderant
Nummos et pecora quotquot habuerant.]
Num quid est vilius, o cuncti! dicere?
Tenentur rustici illius patriæ
In caula Domini nocte persistere,
Aut dabunt singuli nummum pro stercore.
Dicuntur asini hi tunc peroptime,
Sunt enim stolidi magis quam bestiæ.
Si quis interrogat, "dic michi, rustice,
Quo versus oppidum vadam itinere?"
Cachinnans loquitur, respondens temere,
"Per crucem ambula, illam existere
Dimitte, postea corvum prosequere."
Ad forum ambulant diebus singulis,
Saccum de lolio portant in humeris,
Jumentis ne noceant: bene fatuis,
Ut prælocutus sum, æquantur bestiis.

Post forum protinus tabernam adeunt,
Quod *buslusse* dicimus bibunt et rebibunt.
Postquam sunt ebrii quod loqui nesciunt,
Jumentum scandere cadentes nequeunt.
" Sta," dicit rusticus, "*fauvel*, ut consulo,
Paulisper sustine dum sursum fuero,
Ad centum dæmones vade continuo!
Atque ad domum ne redeas denuo."
[Cervisiam reputant *buslusse* improprie;
Hoc enim leviter possum inducere.
Cervisia dicitur etymologice
In aqua cereris vis, ergo facere
Cervisiam nequeant, nam carent cerere.
Jumentis imperant ut stant pacifice,
Et nisi fecerint minantur propere,
Quod ea citius debent relinquere,
Et sic reliqua ad forum emere.]
In domo propria sedent ad prandium,
Et si quis veniens pulsat ad hostium,
" Non sumus," aiunt, " nunc ad hospitium—
Vade ad dæmones!—veni cras iterum."
Æstivo tempore vir de Norfokia
Mel suum colligit cum diligentia;
In vase positum sine custodia
Mel stare desinit, tendens ad alia.
Sed canis rustici, qui tantum esurit
Quod fere moritur, a longe respicit
Ubi mel ponitur, statumque prosilit;
Absente rustico mel totum comedit.
Canem continuo appellat rusticus,
Quem sic alloquitur dolens et anxius,
" Nonne cotidie manducas sæpius
Allecis capita duo vel amplius?
Reddes mel, atque, novit sol splendidus!
Prandebis a modo certe deterius."
Canem cum baculis duobus deprimit,
Et mel continuo depressus evomit.
In vase terreo mel rursum colligit,
Quod foro proximo portare præcipit.
Ad forum veniens volens hoc vendere,
Accedit aliquis qui mel vult emere,
Fætorem percipit, et dicit propere,
" Totum est putridum mel tuum, rustice."
Repletus rusticus dolore nimio,
Per solem splendidum jurat continuo,

" Mel est egregium, sed proculdubio
Paulisper fuerat in vase sordido."
Vir de Norfokia pergens itinere,
Casu reperiens equino stercore
Magnum scarbocium, qui statim psallere
Applaudens incipit pro tali volucre:—
" O pulcra volucris! quid de te faciam?
Licet me mordeas, non te proiciam."
Dicitque sæpius ob hanc lætitiam,
" *Ha! þu mi swete brid!* ego te comedam."
In campo rusticus carucam dirigit,
Et casu nimium bufonem repperit,
Caput arripiens, mox firmum efficit
Sub suo cingulo donec araverit.
Postquam perfecerat, ad domum ambulat,
Vicino proximo fortassis obviat,
Bufonem intuens statim interrogat,
" *.W. hore godsip,* quid hoc est?" et ille recitat,
" Quid hoc est? perdix est." " Perdix!" hic iterat.
" Perdix est, utique nullus hoc dubitat."
" Cur pedem obtinet tam latum?" sciscitat.
Dicit quod pedibus plus it quam equitat.
" Cur habet insuper ventrem latissimum?"
" Eo quod avis est et pinguis nimium."
Et rogat insuper cur caret pennulis.
Dicit quod pullus est, et valde juvenis.
" Hanc ergo volucrem prandere possumus."
" Quid dicis, asine? cibus est regius."
[Vir quidam nobilis dictæ provinciæ
Sedens et computans nummos assidue,
Cæpit denarios de bursa trahere:
De casu cecidit nummus a latere.
Juxta quem steterat corvus domesticus,
Qui mox prosiliit, et nummum citius
Capit et strangulat, quod videns dominus
Plorat et ejulat, dolens et anxius.
Corvum accipiens per pedem tenuit,
Tandem cum virgula dentata fricuit,
Quod nunquam æstimans cacare debuit
Afflictus taliter, sed nichil valuit.
Corvus præ nimio tormento crocitat;
Miram prudentiam vir dictus cogitat,
In terram firmiter cavillam fixerat,
Ad quam corvum cordula ligaverat.
Ne quid comederet jussit summopere:
Jejunus biduo stetit continue.

Post hæc ut medicus corvum comedere
Coegit pillulas, fecitque quærere
Quando cacaverat in omni stercore,
Et sic denarium invenit propere.

Postquam denarium dictum repererat,
Nunquam in seculo tam gaudens fuerat,
Totaque patria secum tripudiat,
Quia quam perdidit drachmam invenerat.]

Nolo plus dicere vobis de frivolis :
Accedam a modo rebus verissimis.
Hi divulgati sunt in cunctis patriis,
Quod lædunt alios suis malitiis.

Multi de patria cum semel exeant,
Nunquam de cætero, si possunt, remeant,
Qui licet simplices se prius præbeant,
Docti sunt postea ut malefaciant.

Corvus si transeat volando maria,
Caudam non deserit; neque malitia
Virum Norfokiæ, nam trahit vitia
Membrum de capite, et vir de patria.

More serpentium hi sub silentio
Plures inficiunt veneno pessimo;
Nam retro detrahunt miro mendacio,
Et ante sibilant ore mellifluo.

Ut canis fatuus applaudens caudula,
Et coram facie deducens gaudia,
Si tergum verteris mordens dat vulnera,
Sic est de pluribus ex dicta patria.

Nam si quem læseris dictæ provinciæ,
Non statim appetit vindictam quærere,
Sed si tempus viderit quo possit lædere,
Tunc dentes acuit et mordet aspere.

Norfokiensium mores et opera
Ex parte retuli, non tamen omnia.
Nam non sufficeret sensus nec schedula,
Si esset latior quam sit Norfokia.

Oremus igitur, mente piissima,
Ut Deus omnium sua potentia
Dictorum corrigat virorum vitia,
Aut simul destruat gentem cum patria!

JOHANNIS DE SANCTO OMERO

NORFOLCHIÆ DESCRIPTIONIS IMPUGNATIO.

Edictum fingitur factum a Cæsare
Augusto nescio quo, qui describere
Mundi provincias præcepit temere,
Ut nimis sapiens volens desipere.
Namque si verum est quod ita fecerat,
Ut verum fatear, stultus extiterat.
Unus ex nunciis quos ipse miserat
Lator mendacii aperte fuerat.
Sit quorum replicat turpis descriptio,
Ridenda nimium, plena mendacio,
Quod in Nortfolchia pessima natio
Et nequam oritur, naturæ vitio.
Et . . . .
Quem mori pessime det Dei filius,
Gente Nortfolchiæ quod genus nequius
Inter terrigenas non est, nec vilius.
Sic terram sterilem dixit Nortfolchiam,
Et detestabilem esse provinciam,
Et nationibus cunctis contrariam,
Quibus intitulat summam malitiam.
Et ut probet eos fovere scelera,
Et amorifera nescire federa,
Nortfolchiensium mores et opera
In testimonium fert inter cætera.
De mala arbore sumit proverbium,
Quod bonis fructibus non det exordium;
Et ita comparat quod constet impium
Quod terra germinat Nortfolchiensium.
Certe mentitus est, cui mala passio
Et mors eveniat pro suo nuncio;
Cassetur penitus falsa descriptio,
Et regi Cæsari sit maledictio!

Sint anathemate Deo maranatha
Percussi jugiter desuper capita,
Qui ista frivola de gente inclita
Fecerunt scribere, et sint illicita.

Non fuit clericus qui ista scripserat,
Nec vir veridicus, sed ribaldus erat,
Qui meretricio more dedicerat
Proferre metrice qui falso fixerat.

Non ob hoc tritici est in Nortfolchia
Defectus, Lucifer quia in Borea
A polo cecidit, sed ut in alia
Terra sic etiam sunt ibi omnia.

Quod Boreas habet, hoc Austro deficit,
Sors idem Boreæ conversim efficit,
Quod terris egenis ad plenum sufficit,
Forsan occiduos in nullo reficit.

Terra Nortfolchiæ si forte copiam
Frumenti non habet, ad abundantiam
Dives in aliis nostram inopiam
Supplet, et erigit sæpe penuriam.

Aliud suppetit, si unum deerit;
Nichil in omnibus beari poterit;
Qui terræ talia inproperaverit,
Hic stulto stultior dici meruerit.

Quæ restant cetera in inproperium,
Prolata patriæ contrahunt vitium,
Si vera fuerint, sed credo nuncium
Dixisse Cæsari turpe mendacium.

Quis est hominum, hoc posset credere,
Qui . . . mortalium ita desipere,
Quod grana tritici velit despicere,
Et spicas vilium granorum legere.

Scriptor falsidicus dicit quod crescere
Frumentum odiunt in suo aggere,
Quod si invenerint fustigant verbere,
Et ut diabolum jubent aufugere.

De sua segete granum eiciunt,
Et quod est optimum, dicit, despiciunt;
Hoc quasi territi videre nequeunt:
Non sunt sub nubibus qui ita faciunt.

Panem de lollio et de zizania
Dicit quod ruminat gens de Nortfolchia;
Quam bene noverit ferre mendacia,
Patet ad oculum per hæc fictitia.

Qui seminaverit semen triticeum,
Dicit zizaniam metet aut lollium,

Hæc duo retinent ibi dominium;
Fame mori queat propter mendacium.
Sunt enim homines qui bona diligunt,
Et quod est melius, hoc prius eligunt;
Vilia viliter nobiles negligunt,
Et quæ nobilia sunt sibi colligunt.
Semen triticeum quanto sit melius,
Nulli est dubium, est eis carius:
Frumentum spernere quid enim stultius,
Quis unquam [erat] falsum apertius
Qui clavos per clavos volet retundere,
Clavis in obviam debet opponere,
Et sicud convenit vim vi repellere,
Sic et stultitiis stultum confundere.
Dicit de puero qui libum viderat,
Et a patre suo interrogaverat,
Quid esse potuit, cui pater dixerat,
"Infirmi cibus est, nulli sanus erat."
Quis istud crederet, quod suo filio
Pater hoc diceret, patet irrisio
Hujus mendacii manifestatio;
Docet quod scripserit stilo lusorio.
Addit, quod pejus est, quod gens Nortfolchiæ
Laborat vitio tantæ penuriæ,
Quod si sint nobiles per partes patriæ
Qui velint ducere dies lætitiæ,
Si quos vocaverint ut ad convivium,
Ement communiter panem triticeum,
Quem album nominat, fingens mendacium,
Et sub custodia ponitur clavium.
Cum dies aderit quo velint pascere
Quos invocaverint, faciunt mittere
Pro pane misero qui est in carcere;
Tunc omnes insimul hunc debent edere.
Te dominum deprecor, qui potes omnia,
Ut is depereat summa penuria,
Qui sine meritis hæc de Nortfolchia
Scripsit, cum terra sit plena facetia.
Mentiri maluit quam verum dicere,
Qui falsa voluit ita describere;
Non dicit aliquid, quod possit libere
Pro suis oculis verum ostendere.
Largi et liberi præ nationibus,
Et curiales sint in suis domibus,
Quos invitaverint de bonis omnibus
Pascent egregie sine defectibus.

Nam sicud digni sunt, abundant panibus,
Vino et oleo, carne et piscibus,
Sua non denegant ullis petentibus,
Imo largifluis conferunt manibus.
Isti mendacio voluit jungere
Quod debent rustici quocunque tempore
In caula Domini nocte persistere,
Aut dabunt singuli nummum pro stercore.
Hoc scribens rusticum in patrem habuit,
Qui pro stercoribus in caulis cubuit,
Unde Nortfolchiam sordere voluit
Paterno scandalo, sed non prevaluit.
Nam vellet citius gens de Nortfolchia
Privari penitus bonis et patria,
Cum suis baculis ire per hostia,
Quam semel perpeti ista tam vilia.
Fatetur homines illius patriæ
Rudes ut asinos datos incuriæ,
Et quod sint stolidi magis quam bestiæ
Asserit nequitur scriptor injuriæ.
Addit ad oppidum si quis itinere
Tendat, et de via ceperit quærere.
Cachinnans rusticus clamabit temere,
"Per crucem ambula, corvumque sequere."
Hos male comparat rudibus asinis,
Pejus quam similat stolidus bestiis;
Nam sensu homines majoris nominis,
Totius Angliæ non sunt in terris.
Illud ridiculum quod fingit de via,
Nichil est aliud quam de stultitia
Fabula prodiens digne risoria,
Cum non sit aliquis qui ferret talia.
Ad forum militant diebus singulis,
Saccos de lolliis portantes humeris,
Scandent cum onere tergora pecoris,
Et ita reputant quod nil fert oneris.
Hos ita comparat merito bestiis,
Si verum diceret; sed quod mendaciis
Apertis usus est patet indiciis;
Nam quis denarios daret pro lolliis.
Insuper hominem cum suo onere
Si equus deferat, quis potest credere
Quod equus ambulet plus sine pondere;
In vanum voluit istud proponere.
"Sta," dicit rusticus, "*Favel*, ut consulo;
Paulisper sustine dum sursum fuero;

Ad centum dæmones vade continuo,
Sic ut non redeas domum denuo!
Quantum studet hic circa frivolum,
Aperte mentiens patet ad oculum;
Quis enim peteret, ut ad diabolum
Ipsum deveheret suum vehiculum.
Non equos alloqui sic solent homines,
Ut cum hos scanderint, ad centum dæmones
Eant, nec redeant, falsi propagines
Extendit turpiter, excedens ordines.
In domo propria sedent ad prandium,
Et si quis veniens pulset ad hostium,
" Non sumus," aiunt, " nunc ad hospitium,
Vade cum domino,—veni cras iterum."
Illud pro nichilo hic interseruit,
Nam in Nortfolchia nunquam discubuit
Homo de patria qui clausum habuit
Supra se hostium; mos hoc inhibuit.
Ad horam prandii stabunt ad hostium,
Ut si quis venerit peregrinantium,
Introducant eum more lætantium,
Ex tunc cum gaudio gustabunt prandium,
Adhuc quod majis est stabunt in compitis
Spectantes quidem adventum hospitis
Si quis affuerit, "Bene veneritis,"
Dicunt, "et hodie nobiscum eritis."
De hoc quod rusticus canem habuerat,
Æstivo tempore qui mel comederat,
Et inter baculos canem sic presserat,
Quod ano reddidit quod ore sumpserat.
Ad forum postea istud detulerat,
Quod volens vendere nequaquam poterat;
Nam vase fetido fetorem traxerat,
Et statum pristinum mellis amiserat.
Quis unquam audit figmentum vilius,
Sive mendacium detestabilius;
Adhuc mel comedat, det Dei filius!
Ut venter tumeat et crepet medius.
Non est in seculo qui ita faceret,
Et est stultissimus qui ista crederet,
Sed ut Nortfolchiæ gentes confunderet,
Mentiri maluit quam verum diceret.
Verum est siquidem quod in Nortfolchia
Mellis est undique et lactis copia,
Canes mel comedunt præ abundantia:
Nullius boni est ibi penuria.

Iste girovagus dum circumierat
Patriam, stercora mellita viderat,
Quæ sibi colligens mella putaverat,
Sic de Nortfolchia fabulam fecerat.
Post forum protinus tabernas adeunt,
Quod *busket* dicitur bibunt et rebibunt;
Postquam sic biberint quod loqui nesciunt,
Dicit quod scandere jumentis nequeunt.
Quid *busketh* fuerit qui vult cognoscere,
Aqua cum fæcibus est, carens cerere,
Qui illud biberit, quis posset credere
Tale quid liquidum ebrium facere.
Dicit cervisiam quod hi non habeant;
Cum dea Cerere penitus careant;
Exponat quomodo tunc ebrii fiant,
Et quibus potibus sese destituant.
Certe non sentio quod aqua fæcea
Facere valeat id quod cervisia;
Gens namque redditur pereque ebria
Aquam si biberit, est tamen sobria.
Concedat [igitur] quod potus hauriant,
Qui vi substantiæ viros inebriant;
Aut, quod est sanius, sobrii maneant,
Nec sicud retulit ita desipiant.
Mentitur viliter quod in itinere
Vir de Nortfolchia equino stercore
Invenit scarabum, quem tollens psallere
Cæpit præ gaudio pro tali volucre,
Dicens "*mi suete brid!* quid de te faciam?
Licet me mordeas non te proiciam:
Te domi deferam, et jam te comedam."
Quis unquam audit talem stultitiam
Mendax mendacium contexens adicit,
Quod quidam rusticus carucam dirigit,
Et casu nimium bufonem reperit,
Perdicem reputans sub zona posuit.
Quem secum detulit ut inde prandium
Sibi conficeret. Tale mendacium
Quis unquam finxerat in inproperium?
Bufo pro studio sit ei præmium!
Quicquid hic retulit, totum est frivolum,
Nugis inanibus contextum symbolum,
Vocet ut redicat nichil in nichilum,
Pro suo scribere non darem obolum.
Non est homo malus in tota patria;
Est terra penitus veneni nescia;
Serpente, colubro, et mala bestia,

Felix et fertilis caret Nortfolchia.
Satis apertum est quod de invidia
Hoc scriptum prodiit et de malitia.
Assero brevitur falsa sunt omnia;
Scriptori veniat summa ingentia!
De Burgo monachus, ut michi dicitur,
Illud composuit quod ante legitur:
Dum tanta falsitas per eum fingitur,
Ab eo veritas deus deseritur.
O Petre claviger et pastor omnium,
Te pie deprecor ut monasterium
Subvertas funditus in quo mendacium
Per falsum monachum cepit exordium.
Vel saltem ruinas sic nugigerulum,
Ut ipsum facias stare monoculum
Inter fratres suos, qui finxit scandalum
Contra Nortfolchiæ felicem populum.
Nam quicquid scribitur hic de Nortfolchia
Quod malum nusticat, aut vituperia,
Debet intelligi quod de insania
Capitis monachus narravit sompnia.
Deus omnipotens per suam gratiam
Natus de virgine, quando per patriam
Ivit ut tolleret mundi malitiam,
Transitum fecerat iter per Nortfolchiam.
Ibi receptus est cum magno gaudio,
Cum suis omnibus: pro beneficio
Quod illi fecerant, est benedictio
Eis jure data hereditario.
Qui in Nortfolchiam semel intraverit,
Non quærit exitum quamdiu vixerit;
Nam quando patriam tam bonam viderit,
Paradisicolam se esse asserit.
Est terra fertilis, plena divitiis,
Bonorum omnium repleta copiis,
Ibi sunt homines sine malitiis,
Nec sunt de ploidis utentes palliis.
Ipsi qui literis sunt ibi dediti
Disciplinaribus sunt curis subditi,
Vivunt humiliter sensibus perditi,
Et in sermonibus sunt Dei digiti.
Sunt ibi milites in armis bellici,
Barones nobiles, magnates incliti;
Non sunt de genere Thersitis perditi,
Sed sunt Æacidis de stirpe geniti.
Hoc patet siquidem, si quæ ingruerint,
Quæ bella moveant, quando convenerint

Majores Angliæ, quod non processerint
Nortfolchiensium insulti fuerint.
Ubi sunt milites nunc ultra maria,
Qui magis valeant quam in Normannia?
Æqua proportio constat in Anglia,
Cui prævalidos profert Nortfolchia.
Audaces, asperi constant, et rigidi,
Bella non adeunt pro morte trepidi,
Parent in acie leones rapidi,
Solo intuitu hos horrent timidi.
Ita transcurrere nolo per maria;
Manifestissima sunt hæc veracia,
Quod magis validi per orbis spacia
Non constent homines quam in Nortfolchia.
In parte retuli quanta facetia
Et quanta bonitas sit in hac patria;
Si semper scriberem et meter omnia,
Non possem exprimi terræ nobilia.
At ne fastidium sit multum legere,
Tempus est carminum finem imponere:
Sed quædam supersint quæ volo petere,
Quæ michi dominus velit concedere!
Dignare, Domine, nunc maledicere
Augustum Cæsarem qui sic describere
Terram Nortfolchiæ præcepit temere,
Et falsum nuncium una confundere.
Scriptoris oculos velis eruere,
Linguam et digitos deesse abscindere;
Ne penna liceat archana findere,
Nec secum libeat frivola fingere.
Gentem Nortfolchiæ da, Deus, prospere
Quacunque fuerit in pace vivere;
Illos qui invident, eis disperdere
Velis, ut desinant eis detrahere.
Nolo cujuspiam iras incurrere,
Hoc solum audeo patenter dicere,
Nortfolchiensium cum sim de genere,
Decet me patriam meam defendere.
Qui me polluerit luto vel pulvere,
Licet ut audeam istud excutere,
Siquis quod scripserim vult reprehendere,
Scribat, et præsto sum illi rescribere.
Constare facio de meo nomine,
Sum Dei gratia dictus cognomine,
De Sancto nuncupor Omero, crimine
Me mundes deprecor tu autem, Domine.

CARMINUM RESONANTIUM

SPECIMEN,

EX CODICE MSTO. ARUNDELIANO.

CARMINUM RESONANTIUM

SPECIMEN.

I.

Præclusi viam floris
Vis reserat caloris,
Laxatis terræ poris,
Compescuit algoris
 repagula, dans aurula
Clementiam teporis;
 suppullulant et stimulant
Blandimenta furoris.
 O! vincit amor omnia;
 Felix amor miseria
 A dulci morbo langueor,
 Quo fit beate pereor.

Cùm militat Dione
Cum tenero tyrone,
Huic Pallas cum Junone
Et pauca legione
 se obicit, nec profuit
Hoc sudans in agone:
 nam frigeo indicio,
Spes rapta est Coronæ.
 O! vincit, etc.

Se sociam laboris
Pollicita Lichoris,
Remedium languoris
Dat risus blandioris,
 lasciviam et gratiam
Non abnegat favoris,
 frons libera, frons tenera,
Nec prodiga pudoris.
 o! vincit, etc.

Nec milite votivo
Castra Diones privo,

Dum blandi redivivo
Furoris incentivo
excrucior, ha! morior;
In cujus est quod vivo,
respondeat et faveat
Consensu relativo.
O! vincit amor, etc.

Purpurei labelli,
Æmulans aura melli,
Oris honos tenelli,
Mens aliena felli,
et nutibus locacibus
Me capiunt ocelli,
ut sirtibus felicibus
Mens nequeat avelli.
O! vincit amor omnia, etc.

II.

Ipsa, quæ vivere
michi reddidit,
Cessit prospere,
spe plus accidit
Menti miseræ;
Quæ dum temere
totam tradidit
Se sub Venere,
Venus æthere
risus edidit
Læto sidere.

Desiderio
minus efficit,
Dum vix gaudio
pectus sufficit
Quod concipio;
Dum Venerio
flore reficit
Me colloquio,
Dum quem haurio
favus allicit
Dato basio.

Sæpe resero
cursum liberum
Sinu tenero;
Sic me superum

Addens numero,
Aptus imperio,
felix iterum
Si tetigero
Quem desidero
sinum tenerum
Tactu libero.

III.

A globo veteri
cùm rerum faciem
Traxissent superi,
mundique seriem
Prudens explicuit et texuit
Natura,
Jam præconceperat quod fuerat
factura.

Quæ causas machinæ
mundanæ sciscitans,
De nostra virgine
jamdudum cogitans,
Plus hanc excoluit, plus præbuit
honoris,
Dans privilegium et pretium
laboris.

In hac præ ceteris
Totius operis
Naturæ lucet opera, tot munera
Nulli favoris contulit, sed extulit
hanc ultra cætera.
Et quæ puellulis
Avara singulis
solet partiri singula, huic sedula
Impendit copiosius et plenius
formæ munuscula.

Naturæ studio
longe venustata,
Contendit lilio
rugis non crispata
Frons nivea;
Simplices siderea
luce micant ocelli.
Omnes amantium
trahit in se visus,

Spondens remedium
verecunda risus
Lascivia,
Arcius supercilia
discriminant gemelli.

Ab utriusque hominis
confinio
Moderati libraminis
indicio,
Naris eminentia
producitur venuste
Quadam temperantia,
nec nimis erigitur,
nec premitur
injuste.

Allicit verbis dulcibus
et osculis,
Castigate tumentibus
labellulis,
Roseo nectareus
odor infusus ori,
Pariter eburneus
sedit ordo dentium
par niveum
candori.

Certant unum micant lene
Pectus, mentum, colla, genæ,
sed ne candore nimio
Evanescant in pallorem,
Præcastigat hanc candorem,
rosam maritans lilio,
prudentior natura,
Ut ex his fiat aptior et gratior
mixtura.

Rapit mihi me Coronis
Privilegiata donis
Et gratiarum flosculis,
Nam natura dulcioris,
Alimenta dans erroris,
dum in stuporem populis
Hanc omnibus ostendit,
In risu blando retia veneria
tetendit.

IV.

Plaudit humus Boreæ
fugam ridens exulis,
Pullulant arboreæ
nodis comæ patulis :
Gaudat Rhea coronari
novis frontem flosculis,
Olim gemens carcerari
sui sævis vinculis.
Felix morbus qui sanari
Nescit sine morbo pari.

Æthera Favonius
inducit a vinculis,
Ornat mundum Cyprius
sacris diu copulis.
Castra Venus renovari
novis ovat populis,
Et tenellas populari
blandis mentes stimulis.
Felix morbus, etc.

Tuum, Venus, haurio
venis ignem bibulis,
Tuis, Flora, sitio
favum de labellulis.
Flora, flore singulari
præminens puellulis,
Solum sola me solari
soles in periculis.
Felix, etc.

Rapit nobis ludere
dictis livor æmulis,
Nos obliquis lædere
gaudens linguæ jaculis.
Nolo volens absentari,
votis uror pendulis,
Fugi timens te notari
nigris famæ titulis.
Felix morbus, etc.

In discessu dulcibus
non fruebar osculis,
Salutabas nutibus
pene loquens garrulis.
Fas non erat pauca fari,
fuere pro verbulis

Quas, heu! vidi derivari
lacrimas ex oculis.
Felix morbus qui sanari
Nescit sine morbo pari.

V.

Sævit auræ spiritus,
et arborum
Comæ fluunt penitus
vi frigorum;
Silent cantus nemorum;
nunc torpescit vere solo
Fervens amor pecorum;
semper amans, sequi nolo
Novas vices temporum.

Nec de longo conqueror
obsequio;
Nobili remunior
stipendio:
Læto lætor præmio,
dum salutat me locaci
Flora supercilio,
mente satur non capaci
Gaudia concipio,
glorior labore.

Michi sors obsequitur
non aspera;
Dum secreta luditur
in camera,
Favet Venus prospera.
Nudam fovet Floram lectus,
Caro candet tenera,
virginale lucet pectus,
Parum surgunt ubera
modico tumore.

Hominem transgredior,
et superum
Sublimari glorior
ad numerum,
Sinum tractans tenerum;
cursu vago dum beata
Manus it, et uberum
regionem pervagata

Descendit ad uterum
tactu leviore.

A tenello tenera
pectusculo
Distenduntur latera,
quæ modulo
Caro carens scrupulo
levem tactum non offendit,
Gracilis sub cingulo
umbilicum præextendit
Paululum ventriculo
tumens conciore.

Vota blando stimulat
lenimine
Pubes, quæ vix pullulat
in virgine
Tenui lanugine,
crus vestitum moderata
Tenerum pinguedine
levigatur occultata
Nervorum compagine,
radians candore.

O si forte Jupiter
hanc videat,
Timeo ne pariter
incaleat,
et ad fraudes redeat;
Si vel Danaes pluens aurum
imbre dulci mulceat,
Vel Europes intret taurum,
vel Ledæo canderat
rursus in olore.

VI.

Jam vere fere medio,
Ver, senescente Martio,
Favonio
flores mandat,
quos expandat
aeris arbitrio;
fert Aprilis Aperil
nomen ab officio.

Resumens usum veterem,
Non dedignando Venerem
degenerem.

Amo quidem,
nec hoc idem
si liceret agerem;
sed invitus
aro litus,
atque lavo laterem.

Meam laboro fieri,
Quæ nec se flectit veneri,
nec muneri
sese spondet,
nec respondet
cultum litus Cereri,
nec abluto
sine luto
datur esse lateri.

Tanto datus flagitio,
Vix sentire sufficio
quod sentio;
usus mali
malum tali
temperat remedio,
ut sit idem
michi pridem
solus pro solatio.

Vix spero sub hanc sarcinam
Diem durare crastinam;
sed utinam
pœna quævis
quæ sit brevis
terminet diutinam,
ut vel mori,
vel dolori
vivere sic desinam.

At spero morbus cederet,
Si quam mei non miseret,
me viseret;
hæc me nisi
quam præmisi
spes adhuc reficeret,
in immensum
sui sensum
dolor hic produceret.

Medenti se fax occulit
Qui me latenter perculit,
nec contulit

medicinam,
qui urinam
non urinæ consulit,
dum humorem,
non amorem,
morbi causam protulit.
Videtur enim pluribus
Quod sic laborem febribus;
sed omnibus
horis cremor,
nec me tremor
suis quatit vicibus:
non est febris
quod tam crebris
me cremat ardoribus.
Cum quo languore dimico,
Jam certo satis indico
prognostico,
nec ignoro
quo laboro,
sed ut de me judico,
vel ægrotus
magis notus
michi sum quam medico.

VII.

Vacillantis trutinæ libramine
Mens suspensa fluctuat, et æstuat
in tumultos anxios,
Dum se vertit
et bipartit
motus in contrarios.
Me vacare studio vult ratio,
Sed amor alteram vult operam:
in diversa rapior;
ratione
cum Dione
dimicante crucior.
O langueo!
Causam languoris video,
Videns et prudens pereo!
Sicut in arbore frons tremula, navicula
Levis in æquore dum caret anchoræ
subsidio,

Contrario flatu concussa fluitat, sic agitat,
Sic turbine sollicitat
me dubio
hinc amor, inde ratio;
sub libra pondero:
Quid melius, et dubius
mecum delibero.
Nec menti refero delicias venerias,
Quæ mea michi Florula det oscula,
qui risus, quæ labellula,
quæ facies,
frons, naris, aut cæsaries.
O langueo! etc.

Hiis invitat et irritat
amor me blanditiis, sed aliis
Ratio sollicitat et excitat
me studiis;
nam solari
me scolari
cogitat exilio:
sed, ratio,
procul abi—vinceris
sub Veneris
imperio.
O langueo!
Causam languoris, etc.

VIII.

Martii recenti frondium
et graminum fætura
Terræ fæcundat gremium
clementior natura;
Nocti diem equilibrat,
Dum sublimes equos vibrat
ove Sol phryxea,
aquilone mansueto
elementa nexu læto
colunt hymenæa.
Ha! quam gravia
Michi sunt imperia
veneria,
cum nequeant deponi.
Lex amoris anxia,
Lex legum nescia,
lex obvia
legum rationi.

Florem dampnarat aquilo
sub ruga novercali,
Quem dulcis aura sibilo
cum nectare vernali
Delibutum reddit vitæ,
Suo carens Abderite;
Rhea parens rerum
solum pingit et deaurat,
dum jacturam sol restaurat
brevium dierum.
Ha! quam, etc.

Castra sequendo Veneris,
ad vana mens declinat,
Ipsis cupido superis
insaniem propinat.
Morbo felix infelici
Renativæ cicatrici
toto mentis visu
suffragabat, sed prudentem
alienat Flora mentem
osculo vel risu.
Ha! etc.

Fallax interpres animi
frons, et sophisma vultus,—
Certant non posse reprimi
Cupidinis insultus.
Voto michi non respondet,
Voluntatem tamen spondet
facies alternam;
spe distractus infelici,
nil expecto nisi dici
requiem æternam.
Ha! quam, etc.

IX.

Quam velim virginum si detur optio,
Consulti pectoris utar judicio;
Non vagam animo, non turpem, faciam
Tori participem, curarum sociam.
Pudoris prodigam
non eligam,
nec Sabinam moribus,
amoribus.

Non curo teneram ætate primula,
Non arat sapiens in tali vitula;
Est enim satius cognosse puberem,
Quæ blandam sentiat ex æquo Venerem.

Si ruga lineas suas aruerit,
Senecta capiti nives asperserit,
Non declinaveram ad ejus gremium
Licet in purpura redimat senium.
Tam mea, tam meus
Deliciosus amor, deliciosa Venus.

X.

Ave! color vini clari,
Dulcis potus, non amari
Tua nos inebriari
digneris potentia.
O! quam felix creatura,
Quam produxit vitis pura,
Omnis mensa sit secura
in tua presentia!
O! quam placens in colore!
O! quam fragrans in odore!
O! quam sapidum in ore!
dulce linguæ vinculum!
Felix venter quem intrabis!
Felix guttur quod rigabis!
Felix os quod tu lavabis!
et beata labia!
Ergo vinum collaudemus,
Potatores exaltemus,
Non potantes confundamus
in æterna supplicia.

NOTES, VARIOUS READINGS, AND CORRECTIONS.

NOTES, VARIOUS READINGS, AND CORRECTIONS.

MIRACULA IV. SANCTI NICHOLAI.

Page 3, *lines* 27, 28. In the MS. these two lines stand thus:

Quarum primus lasciva corpora
Longa modo dampnat jejunia,

